

1.

DE
RADIO ÆTERNITATIS
SEU
HONESTATE
E SUO FONTE sc. JURE NATURE,
EMANANTE,

47

QVAM
DIVINO AVSPICIO,
ET
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULT. PHILOS.
SUB PRÆSIDIO,
VIRI CLARISSIMI

M. DAVIDIS *Lund* /

POESIOS PROF. ORDIN.

PRO CONSEQUENDIS HONORIBUS
ACADEMICIS

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES FLACHSENIUS,
JUNIOR.

IN AUDITORIO MAJORI
AD DIEM XXIII. JUNII ANNO M. DC. XCI.

ABOÆ,

Impr. apud JOH. LAURENTII WALLIUM.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

SUMMÆ FIDEI VIRO

ET

SENATORI

Illustrissimo Comiti ac Domino

**DN. GUSTAVO ADOL-
PHO DE LA GARDIE,**

Regii Dicasterii Holmenfis Præ-
sidi Magnificentissimo, Academia Abo-
ensis Cancellario Excellentissimo,
Heroi ac Domino meo
clementissimo.

*Illustrissime Comes,
Domine Gratosissime,*



NE mireris Celsissime
Comes, si vultum tuum
illustrem, & excelsæ in-
dolis animum, quem
augusta Deorum vis, &
arcana literarum inha-
bitat majestas, hæ exiles meæ Musæ, de-
bitæ suæ pietatis memores, subire su-
stine-

stineant. Fateor equidem ingenuè,
haud leuem mentem meam detinuisse
dubitationem, utrum satius foret, ta-
cità ac demissa animi veneratione, ex-
cellentis magnificentiæ Tuæ dotes sub-
misse admirari quam in subjectæ men-
tis pignus, ad illustrissimæ clementiæ
tuæ aram, hoc perquam tenue indu-
striæ meæ deponere specimen: ast cum
effusæ tuæ gratiæ favor Cellissime Do-
mine, firmas satis sibi fixerit radices, &
fulgentissimos latè sparserit radios, per
tot beneficiorum monumenta felicissi-
mè cumulata, in grandes patriæ usus,
in insignem eruditi orbis splendorem,
& præcipue in Arctoæ gentis emolu-
mentum ac gloriam perennem, adeo
ut non tantum illi, quos serenior for-
tuna, supra vulgi mediocritatem beni-
gnè evexerat, eadem uberrimo usu hau-
serint, verum etiam ii, qui infra eandem
collocati, iisdem tanquam cœlestis ful-
goris

goris lumine circumfusi incedant; erectus est animus meus in spem admissio-
nis ad Excellentiam tuam pedes. A deo jam
cernuus oro, ut respicias gratiosissimè,
ad hæc devotissimi animi mei signifi-
cationes, quas nomini tuo, ceu Tutela-
ri Numini inscribere & dedicare au-
deo, non mei utpote clientum vilissimi,
sed clementiam tuam & argumenti quod
occupant, fiduciâ. Cum Tu fulgentissi-
mum Sveogothici Regni sydus, auspici-
is felicissimis imperfectæ Honestatis spe-
cimen adoleveris, idcirco Te quoq; hoc
nomine, ex oblata opellæ occasione,
piâ tamen subjectione Honestatis veræ
exemplar incomparabile adpello. Quæ
virtus divina cum sit, a deo tua est Illu-
strissime Domine, ut illius ope, ad Regis
Magni nutum, indefessus grandia Regni
cures volvasq; negotia faustissimè, non
sine concordiam omnium subditorum ac-
clamatione, qui te hoc caractere di-
gnissi-

DN. CANDIDATE, Amice singularis.

Quemadmodum ex ungue Leonem cognoscunt; sic, ex nobili ingenio ejusque monumentis & alacrispirita, & capaci judicio, mentem optimarum rerum feracem, manu tangunt eruditi, imò celebrant. Vidit id, candida vetustas: Eaque de causa, pectora, grandioribus literis dedita, honestatis pariter moribus imbuta, ab ignobilioribus semper separarunt. Scilicet prudens illorum sapientia, ad pugnam Olympicam concurrere multos; paucos tamen lauream reportare, sincerè observavit. Intelligis & Tu, mi optimè FLACHSENI, Proinde de HONESTATIS arcana indole, uberi fructu, gemma aurea, qua innectitur UTILITATI publica, adeoque cum ea, proram & puppim regimini humani absolvit, Dissertationem conscripseras rerum densam, copiosam, gravem; dictione verò floridam, venustam, rejectis quisquileitatibus cum universa & delicatissima illa Hecceitatum phalnage; Ejusmodi stultitia margaritas spernit solida doctrina, cujus illud est & manet proprium, eos egregie indolis radios, puro sermone ostentare, quorum fulgore, venusto igne fecundo calore, amabili gratia illustrantur volumina & Palladia scientiarum. Nunc ergo, qua fide discursum conscripseras, pari vigore eundem in cathedra Disputatoria defende; ut sic, honoribus hisce coronatus, altiores obtineas in mundo, altissimos tandem in Academia cælesti: Vale.

apposuit T.

D. ACHRELIUS.



JEHOVA JUSTITIA FIDELIUM.

MEIS BENEDICAT COEPTIS.

CAPUT PRIMUM.

§. I.



Vernadmodum conceptus divinæ mentis univèrsum genus humanum gubernandi, per omnia ~~caeteris~~ ^{caeteris} ejus attributis bonitati scil. justitiæ, & sanctitati, tanquam normæ, sapienter consonabat, ita vi obligationis inde emanante non nisi sancte, juste, honeste, humanæque sorti conservandæ modo plane congruo, actiones nostræ ut dirigantur, infabilis ejusdem fuit voluntas. Indidit proinde venerabile illud Numen legem, naturæ mortalium egregie convenientem, sanctissimæ suæ in nos voluntatis indicem exactissimam, radiumque majestatis suæ fulgentissimum, ac velut resplendentiam quandam cœlestis illius in nobis rectitudinis, sanctitatis, & justitiæ immutabilis, in quantum tam stupendæ mentis excellentia ad horum attributorum cynosuram, Principem animalium hominem, Creatori suo, atramen non conformitate in parem secum eminentiæ gradum adsurgente, quod equidem implicat, sed aliquali, conformem fieri, adeoque ad vitam beate agendam, eandemq; bene gubernandam, necessum esse pie judicavit. Hinc elegantissime de immensis divinitatis attributis adserit *Babelius*: tales sunt, inquit, norma Juris Naturæ ἀρχὴν ὄντων, & ea quidem præcipue, quæ analogiam quandam virtutis moralis habent, ut sunt *sanctitas, bonitas, misericordia, justitia, sapientia, veritas, &c.* Secundum hæc DEI attributa

A

opor-

DN. CANDIDATE, Amice singularis.

Quemadmodum ex ungue Leonem cognoscunt; sic, ex nobili ingenio ejusque monumentis & alacri spirita, & capaci judicio, mentem optimarum rerum feracem, manu tangunt eruditi, imò celebrant. Vidit id, candida vetustas: Eaque de causa, pectora, grandioribus literis dedita, honestatis pariter moribus imbuta, ab ignobilioribus semper separarunt. Scilicet prudens illorum sapientia, ad pugnam Olympicam concurrere multos; paucos tamen lauream reportare, sincerè observavit. Intelligis & Tu, mi optimè FLACHSENI, Proinde de HONESTATIS arcana indole, uberi fructu, gemma aurea, qua innectitur UTILITATI publicæ, adeoque cum ea, proram & puppim regiminis humani absolvit, Dissertationem conscripseras rerum densam, copiosam, gravem; dictione verò floridam, venustam, rejectis quisquileitatibus cum universa & delicatissima illa Heceitarum phalange; Ejusmodi stultitia margaritas spernit solida doctrina, cujus illud est & manet proprium, eos egregia indolis radios, puro sermone ostentare, quorum fulgore, venusto igne sæcundo calore, amabili gratia illustrantur volumina & Palladia scientiarum. Nunc ergo, qua fide discursum conscripseras, pari vigore eundem in cathedra Disputatoria defende; ut sic, honoribus hisce coronatus, altiores obtineas in mundo, altissimos tandem in Academia cælesti:
Vale.

apposuit T.

D. ACHRELIUS.



JEHOVA JUSTITIA FIDELIUM.

MEIS BENEDICAT COEPTIS.

CAPUT PRIMUM.

§. I.



Vernadmodum conceptus divinæ mentis universum genus humanum gubernandi, per omnia ~~eceteris~~^{cor} ejus attributis bonitati scil. justitiæ, & sanctitati, tanquam normæ, sapienter consonabat, ita vi obligationis inde emanante non nisi sancte, juste, honeste, humanæque sorti conservandæ modo plane congruo, actiones nostræ ut dirigantur, infabilis ejusdem fuit voluntas. Indidit proinde venerabile illud Numen legem, naturæ mortalium egregie convenientem, sanctissimæ suæ in nos voluntatis indicem exactissimam, radiumque majestatis suæ fulgentissimum, ac velut resplendentiam quandam cœlestis illius in nobis reëctitudinis, sanctitatis, & justitiæ immutabilis, in quantum tam stupendæ mentis excellentia ad horum attributorum cynosuram, Principem animalium hominem, Creatori suo, atramen non conformitate in parem secum eminentiæ gradum adsurgente, quod eëvidem implicat, sed aliquali, conformem fieri, adeoque ad vitam beate agendam, eandemq; bene gubernandam, necessum esse pie judicavit. Hinc elegantissime de immensis divinitatis attributis adserit *Babelius*: tales sunt, inquit, norma Juris Naturæ ἀρχοντες, & ea quidem præcipue, quæ analogiam quandam virtutis moralis habent, ut sunt *sanctitas, bonitas, misericordia, justitia, sapientia, veritas, &c.* Secundum hæc DEI attributa

A

opor-

oportet esse formatum, quicquid Juris Naturæ est, eaque est causa, cur aliquod cogitatum vel factum nomine Juris Naturalis censeatur.

Cum præterea homo suæ naturæ beneficio, agentis rationalis & liberi proprietatibus splendeat, quarum etiam respectu longissime supra reliquorum brutorum scandit fastigium, quævis intellectus carentiam Sacra Scriptura tribuit, & voluntatis libertatem ipsa denique Ratio ac experientia denegat, quicquid frustra cum suis assæclis contramoliatur *Anaxagoras*, intelligentium in numerum cuncta animalium stolidè referens; cum, inquam, tanta prærogativa superbiat homo, non potest non, quin summo conamine ultro feratur in id, quod suæ conditioni conveniens esse prudenter animadvertit, & animum cœlesti cognatione nobilitatum ab iis sordibus revocare cupiat, ad quas animalia rationis expertia effræni impetu, pronòq; ruunt affectu. Id verò, quod ipsi per se, quatenus naturæ socialis ac rationalis particeps factus est, congruum dici oportet, potèssimum virtutis & honestatis illibatæ absolvitur exercitio, sicut ore pariter innuit disertò *Cic.* lib. I. de Leg. dum infert, quod non sit quisquam gentis ullius ducem naturam nactus, ad virtutem provenire qui non queat. Ad sensum & huic præbet suum *Seneca*, supervacuum esse inquit, in quod imus impelli: quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, cum nascitur trahit, ita ne ad hoc quidem, quod *Honestas* per se perat. Placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum etiam sit malis, probare meliora. Quamobrem creatura intellectus & rationis condecorata dotibus, cum semper teneatur præcepta sibi instillata, ceu summæ omnium potestatis, in caput suum agnoscere effectum, ipsi ex debito incumbit, quovis in vitæ
gene-

genere ita actionum suarum dispensare molimina, ut honestatis non fucatæ gratia eadem attemperentur; id minime utile revera esse judicans, quod intra honestatis repagula non concluditur, serio pensitando, quod quicquid à virtute & honestate non est profectum, id omne etsi externa specie sese repræsentet, sociali tamen vitæ inimicum manet; ipsa etenim virtus, comite honestate, per se recto tramite ad consociationem tendit, calculum suum his addente Cicerone, ac monente simul virtutis & honestatis proprium esse, conciliare sibi animos hominum, & ad usus suos adjungere.

§. II.

Natales itaq; & originem *Honestatis* inquisituri, illam sibi vindicare *Legem Nature* constanter asseveramus, quam quoq; exquisitissimam in homine boni & mali sequestram esse ex duplici nobis impressa notitia ipse effectus exacte evincit. Postquam etenim æternus ille plastes agens rationale sapienter condidisset, nefas duxit, illud sine aliqua relinquere regula; bonitati quippe ejus repugnaret immensæ, nobilissimæ si creaturarum vagum puta, confusum, incertum, naturæque ipsarum & fini, propter quem productæ sunt, adversum, & ab omni ordine & lege liberum concederet motum: quod tenendum contra illos audacter statuentes, potuisse sanctissimum Deum creare hominem ab omni jure immunem. Homo præterea in quo naturale aliquod lumen recti, semendq; boni non coruscaret, quiq; suo formatori legis alicujus ligamine devinctus non esset, sed liber & exlex, si errabundus relinqueretur, hoc ipso libere quoq; ad bonum & malum se convertere, imo contra Deum insurgere, Creatoremque suum, si varie ab eo affligeretur, contumeliis afficere im-

pūne potuisset, nulla id lege prohibente, ut loquitur Dn. Zent-
 grav. quod equidem cogitare, ne dum adserere, absq̄ blas-
 phemia non licet; q̄vare legi cuidam obligatum eundem o-
 porter, quæ illi instar normæ sit, quo pacto se gerere debe-
 at, vitæq̄ instituere cursum. Tanti superioris nutui, quo
 promptius duras submittere queat cervices, ideo is ipse
 Homo animam nactus est juris intelligentem, ut quid se
 facere deceat, cognoscere, & rationem legisq̄ vim per-
 cipere queat. Hæc vero lex, cui se subjectum dedrehen-
 dit, & cujus obligatione tenetur, legis naturæ nomine ve-
 nit, prout ea adhuc in nobis superest; & pertinet ad ru-
 dera *resplendentis in anima nostra sanctitatis divine*, quam
 etiam heic fundamento *Honestatis* agnoscimus præci-
 puo. In illius considerationem ulteriorem nonnihil ex-
 spatiantibus solenne est, genuinam ejusdem metiri natu-
 ram, vel quatenus illibata in statu existit integro, vel pro-
 ut miserabili lapsu depravata suum fulgorem amisit. In-
 ter eos, methodo priori in deducendo *Jure Natura* a suo
 fonte addicti qui erant, eminet Ictus *David Movius*, qui
 notitiam ejus delineando docet, naturam, quæ ei ubera
 præbet, hic accipiendam, non ut per corruptam progeni-
 em & improbos mores hodie conspurcata est, sed quæ
 primitus concreata, integra, ac incorrupta aderat. Item
 unice quod humanæ est naturæ, ut Deus condidit, & serva-
 tam, aut postquam vitiorum labe maculata invasit, repa-
 ratam voluit, inqvirendum, inspiciendum omni alii re-
 spectui pro fundamento substituendum esse. Hujus ju-
 dicio se pariter acquiescere ostendit *Dn. Valentinus Alberti*,
 dum in *Compendio Juris Naturæ* pro hypothese sua
 sequentia infert. Jus nimirum Naturæ pertinere ad reli-
 quas imaginis Divinæ, & a Christiano philosopho ex no-
 titia

ticia de statu integritatis hodie post lapsum *exquisite* tradi posse ac debere; assertum quoque suum ulterius rationibus haud contemnendis probatum it; posse scil. Christianum philosophum postquam notitiam certiozem de perfectione status integritatis ex Theologo hauserat, deprehendere eum ad hodiernum nostrum se habere ut *normam*. Verum contraria pars suæ adsertionis robur huic vicissim superstruit pedamento: notum est hominem pristinae istius felicitatis jacturam fecisse deplorandam, hominiquæ extra gratiam constituto, beatissimi istius status integritatis notitiam plane excidisse, adeoque ni gratiæ lumine illo velut clariore fuerit illustratus, & e Scriptura probe edoctus, ne minimum quidem, quod se certiozem facere queat, de istius existentia amabili possidere. Insistunt adhuc alterioris sententiæ Fautores interrogando, num penitus ignorasse dicendum gentiles indolem genuinam legis hujus innatæ eo, quod ob intellectus sui cœcitatem ad illud fastigium pertingere nequiverant, ut naturam hujus æstimare potuissent, a felicissima status istius integri conditione? Neminem quoque sano sensu præditum adfirmare, *Tullium* rectissime posse putant flosculos suos, quos passim in scriptis suis, præprimis in libris Officiorum sparserat, de nobilissimo hocce argumento, ex Theologia revelata hausisse. Addunt denique, in natura patefacta immediate ad Deum recurrere, est præinscitia librum a Deo apertum claudere, ut sonat decretum Philosophorum. Ideo enim nos rationis participes fieri voluit Deus, ut ratiocinando & colligendo unum ex alio, ea utamur. Anima nostra nunquam torpet otio, sed sollicita perpetuo est, & domi & foris, & in curia & schola, & in militia, ac cum ad contemplandum se tactam sciat, inexplebili sciendi trahitur ardore

ardore, omnem mundi finem penetrat, & quicquid reperit ibi, movet, naturam tam pulchra, tam magna, tam multa corpora, solitudini ostendere haud voluisse, judicans, nec ad adspiciendam eam, sed spectandam intelligit, dicit Cl. Sperl. in sua Anthropol. Nos quid cum aliis de hac re sentiamus, nonnihil pluribus in sequentibus exponimus, pronuntiantes interim eos, qui *Juris Nature* principia ex Integritatis deducunt fonte, suæ intentionis pietate se tueri posse; attamen nec alios errare, qui communissima præcepta ex scaturigine tam Gentibus quam Christianis nota ac communi, erudite derivant. Alias unicuique patet Scripturam quoque nonnunquam esse principium, ad quod recurrendum, ubi aliquid de rebus philosophicis, seu naturæ lumine notis, injicit mentionis, non tamen ut *adequatum & proportionis*, sed *eminens*, & intuitu dignitatis tale, idque ob veritatis divinæ, quam continet, eminentiam, uti docte differit celeb. *Mej.* in *Gnost.*

§. III.

Et quamvis, ut jam innuebamus, prædictus Dn. Valent. Alberti existimet, imo pro veris venditet, posse statum innocentiae commode haberi instar cynosuræ, ad cujus naturam hæc nostra infelix æstimari queat conditio, in quantum exacta istius consideratio instituitur, intra cancellos orbis Christiani, eo ipso tamen ad hanc scaturiginem aditum gentilibus videtur præcludere, & solum Christiano *Juris Nature* notitiam ex limpidissimo isto fonte profluentem adsignare. Quapropter hæc ipsa assertio, ut præcedens monstravit §. omnibus nec arridet, quorum est nobiliss. Dn. Pufend. qui inter alia hac de re etiam ex professo egit operose contra ipsum Valent. Alb. ostendendo Disciplinam juris naturalis, cum sua indole sit universalis,

ad omnes homines gentesve æqualiter spectare, quæ stolidè ad certarum duntaxat gentium captum restringitur. Ulterius examinando pergit thesin Dni. Alberti, cujus hic præcipuus nervus, quod adstruat juris naturalis regulas, ex orthodoxa doctrina, & quidem à statu integritatis hauriri posse debere, ratio præcipua additur, quia jus nature est inter reliquias imaginis divinæ, quam homo in statu integritatis habuit. Hæc ipsius verba Dn. Pufend. altius pensitat, & ad examen revocat, indigitando scil. imaginem Dei ex mente Theologorum sensu biblico sola Spiritualia complecti, quore spectu eam penitus etiam periisse profitetur. Igitur quæ in divinis literis super imagine Dei traduntur, ea putat ad jus natrale penitus non spectare. Deinde minus sincere Christianorum propria dicitur ea cognitio distincta ejus juris, uti placuit Dno. Valentino, quia distincta cognitio cujus vis disciplinæ a studio & meditatione provenit, quæ per se æque in infidelem ac in Christianum cadit; quod autem ea cognitio maxime inter Christianos floreat, est quia pleræque bonæ literæ Sacris oraculis copulatæ a Christianis feliciter excoluntur. Ulterius pergit Dn. Pufend. dicendo statum integritatis inter duos homines ad breve tempus fuisse, nec in ejus descriptione juris naturalis mentionem fieri, eoque illum non posse esse normam tam variarum actionum, quæ in genere humano multiplicato certum moderamen desiderant. Præterea de actionibus Adami in Paradiso non multa memorari pronunciat, nisi quod animalibus nomina imposuerit, Evam dilexerit, nudus absque pudore inceserit, de hinc delapsu, gemitu & lachrymis condigno, relationes. Accedit & illud hisce, quod in tota Scripturâ Sacra de actionibus Adami Paradisiaciis

„vix aliqua recenseantur, & quod ullibi eadem in imita-
 „tionem aut exemplum perfectæ vitæ ceteris proponantur;
 „Nam novum illum hominem quem Paulus induere nos
 „jebet, Adamum non esse scribit; Concludit denique quod
 „si Alberto placuit Theologiam moralem cum naturali
 „confundere, cur non potius in normam ejus juris acti-
 „ones saltem communes Salvatoris nostri Jesu Christi
 adduceret. Hi sunt Dni. Pufendorffii de hocce negotio
 dilcursus, quos heic tanto fidelius annotare voluimus, quan-
 to majori cum attentione, ob varia ad exactiorem judicii
 lancem reducenda, merentur legi. Lis illa, si fas est dice-
 re, inter viros Excellentissimos illos est de diverso Jus Na-
 turæ considerandi modo: considerat enim Ampliss. D. Va-
 lentin. Alberti Jus naturæ (a) in radice, Nob. Pufendorff.
 in Statu. (b) Prior agit de notitia Juris naturæ *acromatica*
 & *exquisita*: posterior de *exoterica* & quacunque. Interim
 certum est, *Jus natura* non alia habere incunabula, quam
 Imaginem DEI primævam, sive Adamus in statu paradi-
 siaco legatur de isthoc Jure disseruisse, sive non; sive jus
 illud in statu lapsus consideretur ut in Christiano, sive ut
 in pagano; cum & paganis quædam primævæ imaginis
 vestigia remanserint.

§. IV.

Status integritatis itaque cum videtur haud absimilis esse
 hæreditati, quæ a parentibus ante natos liberos deper-
 dita est, adeo ut notitia ejus tanquam rei præteritæ non
 a ratione sed revelatione hauriri possit. Dispicendum
 ultro, an dici queat norma homogenea & adæqvata pri-
 morum in nobis principiorum, quemadmodum mens est
 Dn. Valentini. Et quoniam nominatus author in asserti sui
 supra a nobis indigitati confirmationem terminis uti vo-
 luit

luit philosophicis, quibus haud exiguam lucem suæ sententiæ scenerare vilis est, nobis neminem vitio vertere existimamus, si eandem calcaverimus viam, ipsiusque allegata verba rationibus ex philosophia prima petitis examinaverimus. Fatemur quidem, nos valde impares esse, ut de tanto viro arbitri sedeamus, judiciumque cumulemus, interim tamen nos non usque adeo in alicujus dignitatem peccaturos putamus, dum nobis ob oculos ponimus indolem libertatis philosophicæ, quæ talis esse amat, ut non simpliciter nos aliorum placitis mancipemus; sed ipsi libere, si veri adsit judicium, sectemur sapientiam, originaliter eam hauriendo ex libro vel Scripturæ vel naturæ, modeste tamen, & citra aliorum contemptum. Quoniam itaque dicit statum integrum habere se instar normæ ad huncce corruptum, veritatem istius affirmationis ex normæ officio ac natura paucissimis lustrabimus. Definiunt Philolophi *Normam esse id, ad quod aliud examinatur sufficienter, & quod mensurat aliud, cujus est norma.* Dicit quidem potest, officium normæ esse *homogeneiam*, quam tamen inter statum hominis *primadum* & *lapsus* non licet deprehendere. At ad normæ rationem sufficit quæcunq; etiam proportio & convenientia: alias Deus nullius rei mensura dici posset. Deinde posset oggeri, quod omnis norma normato suo debeat esse notior: atqui status innocentiae citra revelationem est plane impervestigabilis. Verum hoc inprimis de norma *adequata*, non *eminenti*, debet intelligi; secus DEUS non foret norma creaturarum, cum essentia ejus, voluntas, & judicia sint inperferutabilia. Notoritas illa debet accipi ratione *formæ*, ut est norma, non vero ratione *materiæ*. Hæc quidem ita ejusmodi

argumentis philosophicis à nobis inductis disputari possunt contra laudatissimum Doct. Valentin. Alberti: sed fatemur ultro, nos talia in medium attulisse, non tam animo contradicendi, cum ni fallor alius fuerit scopus nominati authoris, quam ut ostenderemus partis adversæ fautores ejusmodi illationibus aliquod sibi suæque sententiæ inde sperare subsidium.

§. IV.

ET quanquam Scriptores gentiles varia, tanquam statum integrum concernentia, concinnarunt, imo Poetæ ipsi de aureo seculo, de campis Elysiis, & mundi temperie placida cantillarunt, ista propterea felicitatem Adami Paradisiacam minime adumbrare videntur, cum doctrina istius status ex folis divinis haurienda literis, & ab occæcato rationis lumine investigari nequeat. Quicquid denique Poetæ suis involucris moliti sunt, ea tamen vel ex cerebro eorum plane conficta, vel dulcedine oriosæ & tranquillæ vitæ interpolata esse non inepte putantur, quæ inter priscos Græciæ incolas ante inventas urbes & leges agitabantur. Sicuti & hodie gentes quam maximè incultæ suam barbariem politiorum populorum culturæ & disciplinæ longe præferunt. Neque in ista aurei seculi felicitate Poetæ unum duntaxat par hominum, sed insignem jam eorum multitudinem vixisse memorant, & degeneratio morum, de qua illi canunt, non ad intrinsicam velut labem naturæ humanæ, sed ad corruptelam ex prava consuetudine ortam pertinet, quemadmodum pro more docteloquitur Pufend. Existimamus denique, nec absone, quod si quæ ejusdem penes scriptores Ethnicos occurrunt ve-

Rigia, ea videntur reliquæ traditionis alicujus, inter antiquissimos mortalium aliquamdiu conservatæ, lapsu quoque temporum alicubi planè exoletæ, alicubi in fabulosa commenta degenerantis.

§. VI.

Manifestum itaq; nobis videtur ex jam dictis, in tractatione legis congenitæ, uberiori præcipue, attendendam esse conditionem illam, in quam genus humanum per labem primævam devolutum est, quæ nomine status naturalis insigniri haud incongrue potest; cujus indolem genuinam delineando si breviores quasdam duxerimus lineolas, existimamus nos effecturos id, quod non procul a nostri instituti abest ratione. Et quoniam legendo didicimus, statum istum simplici & unico considerandi modo non absolvi, sed passim in eruditorum ordine pro vario suo positu, diversam sortiri significandi vim, igitur ut vitetur confusio, quæ plerisque, præprimis imperitioribus, loco sanæ philosophiæ haberi sivevit, istam brevitate, qua par est, discutietur, quo elucescat intemerata illa veritas, nostrum propositum sincere illustrans & candide exornans. Mentionem faciunt status naturalis qui naturæ librât arcana; sermonem quoque de eodem instituunt medicorum subsellia; disceptant de isto etiam Juris Consultorum collegia; ast conatu dissimili. Illi conditionem seu statum hominis accipiunt prout contradistinguitur monstruoso, distorto, mutilo, aut male conformato; isti quatenus opponitur languido, & morbo aliquo correpto; hi demum quando de statu hominum disquirunt, divisiones hominum vel secundum statum naturalem vel civilem considerant; priori modo proest vel mas, vel fœmina, vel Hermaphroditus, aut in utero

adhuc vel extra eundem existit maternum, posteriori vero quatenus parendi gloria sub potestate superbit civili. Nos missis hisce tanquam parum ad nostrum institutum conducentibus, pensitamus illum, prout semet in disciplina Juris Nat. insinuat; ubi secundum recentiores Juris naturalis scriptores triplici considerandi ratione ejus institui potest indagatio: Vel quatenus opponitur statui irrationalium animalium, ubi agens intellectuale, homo scilicet spectatur tanquam animal quoddam eminens & excellens, singularibus præ reliquis animantibus corruscans dominis, cœlitus ipsi divinitus collatis, queis etiam habilis existit ad agnoscendum divinum in caput suum imperium, quo omnia tanquam propria possidet, & singula ut sua gubernat: omne enim opus in quantum tale, sui est artificis, a quo producitur, sicut vas figuli a quo effingitur, unde cum penitus simus Dei, obligationis severæ tenemur vinculo, ipsum ut conditorem, nostrarumq; actionum directorem sapientissimum, pie venerari, opera ejus mirari, & vitam honestate ac decore ordine conspicuam agere & traducere. Deinde considerant Doctores statum hominis naturalem quatenus contradistinguitur illi culturæ, quæ vitæ humanæ ex auxilio, industria, & inventis aliorum hominum, propria meditatione, ac ope, aut divino monitu accessit, v. g. si concipiatur homo qualis ejusdem futura fuisset conditio, si quilibet sibi soli relictus foret, sine ullo adminiculo ab aliis hominibus accedente, & quidem posita illa naturæ humanæ conditione, qualis ea nunc deprehenditur, prævis scatenus inclinationibus, & quam summa indigentia, inscitia, atq; imbecillitas comitantur, antequam ab aliis hominibus, quid ipsi accesserit opis; quem miserimum esse, parer hæc singula alius expendenti.

Deni.

Deniq; sub considerationem cadit status hominis naturalis, prout opponitur statui civili, per quem plures eisdem summo imperio civili sunt subjecti; & juxta hanc acceptionem illos invicem in statu naturali vivere contendunt, qui neq; communem in terris habent dominum, & quorum unus alteri non imperat aut paret, quicq; adeo nullo alio vinculo juncti sunt invicem, quam quod ex communi humana natura resultat, seu quod alter æque homo sit atque nos. Fusius hac de re disserentem vide Dn. Pufendorffium.

§. VII.

Nos sepositis posterioribus hisce considerandi modis, & præ reliquis primum istum hac occasione, in quantum ad nostrum conducit scopum, amplectimur, cui statui etiam recte ratione sui valoris Jur. Nat. Doctores vocabulum naturalis attribuere, quia non pro lubitu mortales ejusmodi sibi elegerunt vitam, sed vi obligationis ipsis jam & in cunabulis indita a summo numine, ejusmodi vitæ genus præceptum est, & ad id cognoscendum solum rationis, quod superest lumen, sufficit. Ex hoc itaque statu de facili dijudicari potest, quid hominem ex suæ naturæ deceat conditione, quod singulari præ brutis munitus sit privilegio, peculiari inter reliqua animantia emineat dignitate, lege suæ naturæ congruè benigne incedit, quæ, inquam, Lex divina cum sit, regulam justitiam, non fortunæ, sed naturæ congruentiam facit, dixit haud infulse non nemo. Rationalitate gaudet, a qua unice ad virtutem aptus, & ob quam eidem cum Deo cognationem quandam & similitudinem intercedere etiam gentes docuere, vi rationis etiam intelligere, & dijudicare potest, honesta iti-

sem a turpibus discernere, eaque, quæ sibi convenientia videntur, libere appetere, honeste etiam vivere, & ad divinam sanctitatem, in quantum humana permittit natura, semet conformare. Hinc Cicero, ratione, ait, una præstamus, bellis, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, differimus, conficimus aliquid, concludimus, hæc pariter eodem arbitro bene adhibita cernit quid optimum. Et ob hanc naturæ suæ rationalitatem homo cum sit agens morale, actionibus ejus humanis non potest non inesse aliqua moralitas.

§. VIII.

Cum itaq; ex hoc statu, quemadmodum evictum, sua sponte fluit, quod homo debeat autorem sui agnoscere, ac diversa plane ratione a brutis, vitam suam exigere, quæso equidem quod name est, quod hominem in Dei ducit cognitionem, & insignem illam præ reliquis animantibus ipsi largitur prærogativam? nonne reliquiæ istæ concreatarum quondam scientiarum & moralis rectitudinis, quæ legem constituunt naturæ, & quidem primo cultum supremi numinis, dein vero morum directionem & vitæ socialis conservationem, eo puta ordine, quo se respiciunt præcepta primæ tabulæ ac secundæ, apprime delineant & ostendunt; primum, inquit Lactantius, officium justitiæ est, conjungi cum Deo, secundum cum homine, sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia, vel humanitas nominatur. Ex hisce jam aliquatenus patere autumo, unde cognitio legis naturæ petenda ac æstimaanda erit.

CAPUT SECUNDUM.

§. I.

Siquidem in capitulis primi paragrapho secundo supposuimus fundamentum & fontem, unde *Honestatem* derivari oportet, esse legem naturæ, rationibus insuper evicimus, an intra spheram Christiani orbis vel extra eandem, an respectu status integri vel naturalis, istius æstimari debeat indoles; reliquum jam est, ex recepta methodi nostri ratione, altiori indagine inquirere in naturam legis istius connatæ. Et quoniam neminem sanæ mentis, existentiam ejus negatum ire puto, cum quadantenus ex hæcenus dictis eadem constitit, & ex sequentibus clarius elucescat, breviter eandem hic argumentis veritatis infallibilis adstruere non duco alienum fore. Primo quidem petitis ex libro Scripturæ, disertè enim Angelicus Doctor Rom. 2. v. 14. &c. *Cum qui legem non habent, naturæ quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes sibi ipsi sunt lex, atque ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Super hæc verba talenectit argumentum D. Osiand. *Quicumque legem non habentes, naturæ quæ legis sunt nihilominus faciunt, sibi ipsis sunt Lex, & tandem ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, illi existentiam legis naturalis satis superque probant; jam subsumimus. Atqui gentes legem non habentes, nihilominus faciunt ea quæ sunt legis, sibi ipsis sunt Lex, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; Ergo illi existentiam legis naturalis satis superque probant. Quamvis autem hujus divini vatis verba vere aurea distorto sensu a plerisque explicantur, etiam a Matthia Flacio in Clave Scripturæ, circa vocem Legis; ista tamen solide a viris de ecclesia Christi*

ſia Chriſti bene meritis in ſumum redacta ſunt. Secundo ex libro naturæ pondera rationum hauriri poſſunt, Conſcientia cujuſque, juſ aliquod naturæ ſuperne datum in intimioribus cordis penetralibus infixum docet, cum formavit DEUS hominem, immiſit illi neſcio quid divini, mentem ſcil. quandam illuſtrem ac ſervidam, quæ ipſum inſtrueret bonum a malo ſecernere, ait quidam ſapientum.

ſ. II.

Sicut itaq; alia agentia, ſenſu ac ratione carentia, vi quadam interna ac naturali determinatæ, feruntur ad id, quod ipſis eſt congruum, inſtinctuq; connato diriguntur ad ſuum finem, cum Deo ſic viſum fuerit illorum naturæ imprimere, quomodo ſibi convenienti quodam modo agere, ordinemq; ſuum tueri & ſervare debeant, ita homo, inquit Zentgrav. qui libere & moraliter agit per ſemen boni internum lumenq; intellectus practici, cum obligatione quadam, cujuſ ſenſus internus per conſcientiam ſe exerit, determinabitur, ad eligendum id, quod ipſius naturæ humanæ & fini, propter quem conditus eſt, in vita ſociali eſt congruum, cui ille contravenire non audeat, cujuſ etiam libertas naturalis *non ſine juſis alicujus vinculo intelligi debeat.* Et cum omnis obligationis vis ſuos reperat natales ab auctoritate ſuperiori, & non a ſimplici rationis diſquirentis uſu, qui ut recte monet Seldenus & plures alii, ſæpe adeo multiformis, atq; etiam in incerto paſſim eſt poſitus, ut quod alteri maxime in hoc potiffimum indagine, ſeu pro principio evidentiffimo, ſive pro conſiſione principio non impari habitum eſt, id alteri nec imparis ingenii, plane rejiciendum ac falſiffimum, aut pro vero ſaltem non admittendum, non raro viſum fuerit, ex quo rationis hallucinantis uſu ſequi poteſt, quod quis facile legem naturæ,
ſuæ

suæ mentis larvam seu opinionem facere possit. Ita respectu ipsius divinæ obligationis, fallere nesciã, quã supremo numini devinctum se sentit homo, per conscientiam, quæ medias inter Deum & ipsum tuetur partes evidenter ostendit, aliquid sibi infixum esse, quod juris obligativi induit naturam.

§. III.

Populi ferocissimi & ab omni humanitate remoti, etiam inviti hacce coercentur lege. Cyclopes etsi renitentes unico hocce vinculo divinam in se cum jubendi jure conjunctam agnoscere tenentur potestatem. Sit exempli loco Julianus, de quo refert Theodoret. in Hist. Eccl. qui cum Christo ipso bellum, gigantum instar, gerebat, cum in expeditione contra Persas lethale accepisset vulnus, attonitus sparso sanguine in aëre dixit, *νίκημας Γαλιλαίε*, vicisti Galilææ, victoriam ac blasphemam confessus.

Dispalescit ultro veritas nostri argumenti ex conspiratione & confessione unanimi populorum & sapientum. Consentunt hic Judæi, Joseph. lib. 16. originum Cap. 10. ex mente illorum asserit, Adamum cum creatus esset, introisse in notitiam totius legis naturæ. Ex Gentilibus Pythagoras, Aristoteles, præprimis Cicero in officiis. Ex Christianis Doctoribus singularis est locus Lactantii Firmiani, quem ex amissis per injuriam temporum ac vetustatis Ciceronis de republica libris affert, scribens: Est
 „vera lex recta ratio, natura cognoscens, diffusa in omnes,
 „constans sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando, a fraude deterreat, quæ tamen neq; probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari potest. Nec vero aut

„per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus.
 „Neq; est qvarendus explanator aut interpres ejus alius.
 „Nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post-
 „hac, sed & omnes gentes, & omni tempore, una lex &
 „sempiterna & inmutabilis continebit, unusq; erit com-
 „munis quasi magister & imperator omnium Deus, ille
 „legis hujus inventor disceptator, lator, cui qui non pare-
 „bit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur, &
 „hoc ipso maximas luet pœnas, etiam si cætera supplicia,
 quæ putantur, effugerit. Hæc apud illum: quæ & suffice-
 re possunt pro adstruenda vera & reali J. N. positione &
 existentia.

§. IV.

His ita pro re nata perfunctorie lustratis, dispiciendum
 pro porro, quid sit illud, quod legis naturæ, ut fun-
 damenti Honestatis, rationem sustinet. Ubi in antecessum
 velim attendas, præcepta Noachica, ceu normam hujus
 juris cognoscendi adæquatam, nequaquam habenda esse,
 cum non sint prima principia practica, sed conclusiones
 potius ex regulis prioribus & universalioribus deductæ,
 longe etiam insufficientia, quam ut ex inde omnia officia
 juris naturalis, quæ Homo Deo, sibi ipsi, aliisque debet,
 elici queant, hæc enim tria enumerata, illa sunt objecta,
 erga quæ homini incumbit omnes suas actiones, ex lege
 naturali resultantes exercere; Prænomina insuper illa
 Noachidarum decreta non mere naturalia, sed cere-
 monialia quoque passim inculcant, quemadmodum de his
 erudite scribunt Seldenus & Cunæus.

Discrimen quoq; istud, quod intercedit inter jus natu-
 ræ & naturam ipsam, hic etiam, quo res evadat apertior,
 paucis observare conducit, ne quis hoc nomine secun-
 dum

dum jus naturæ agere dicendus est, quando & quia secundum vim & facultatem naturæ inditam agit. Aliud quippe est natura, dicit notanter Zentgrav. aliud jus naturæ, convalescere cum parentibus procreandi causa negat Myrrha apud Nasonem esse contra naturam, etsi contra jus naturæ commissum scelus sit, sicut & vicissim contra naturam sive naturalem instinctum est, supplicio capitali afficere homicidam, cum homo per naturam mortem horreat, etsi non adversetur juri naturali: nec sequitur, bruta animantia feruntur natura ad id quod sibi bonum & congruum sentiunt, ergo secundum jus naturæ agunt. Lepida sanè conclusio, tribuere illis id ex sensu provenire juris, quod ultro promanat ex sensu indigentæ: quod si enim secundum notitias Juris, ut Hugo de Roy contendit, agerent bestię, hominibus, ut concludit Anton. LeGrand sapientiores forent, quæ quod nunquam expertæ sunt, explorata haberent, & res callerent antequam ad illorum sensuum organa pervenissent: nam apes vix in lucem editæ, favos exstruunt, mella colligunt, regem comitantur, reipublicæ speciem tuentur. Formicæ juvenes non minus providentiam testantur, quam protractæ ætatis. Ast nolimus hæc fusius deducere, cum in sequenti capite bono cum Deo, ubi decantatam illam decidemus Qv: *An honestas competat brutis, distinctim exponetur.*

§. V.

Exspirant haud dubie, his rite pensitatis etiam illorum, Opiniones, motus istos internos quos Stoici *πρωτη κίνησις* *Φύσις* appellarunt, & Cicero prima naturæ vocat, cum aliis in homine vigentibus propensionibus, ab intrinseco ac necessario emergentibus impulsu, titulo legis naturalis nonnunquam nobilitantes. Ruunt namq̄ tales sententiæ

sua mole, si perpendamus omne jus ad actionem pertinere, quæ rationis & electionis est, non vero ad nudam duntaxat inclinationem, quæ animali competit reduplicative tali, quatenus est animal; nam primum spectandum, quid recta ratio dicat, quam quorsum naturæ nostræ corruptæ impetus currant feroces, unde liquido constare opinamur, quale iudicium ferendum de verbis Hobbessii, quibus nescio quem statum belli introducit eumque pro lege fundamentalis vendit, inferendo nimirum homines, natura esse æquales inter se, æqualia vero cum contra se invicem possint insurgere alterumque scilicet occidere, inde existere etiam causam mutui metus. Inesse præterea iisdem mutuam lædendi voluntatem innuit, ita partim necessitate res suas contra ferociam petulanter laceffentis defendendi urgente, partim etiam ambitione stimulante, qua superiores se aliis existimans, omnia sibi soli licere vult. Contingere quoque sæpissime statuit, quod circa eandem rem, inter se homines minus consentientes, facile erroris se invicem arguant, non sine dissidiis & contentionibus, quæ inde nascuntur. Accedere & appetitum plurium ad eandem rem, qua tamen sæpissime neque frui communiter, nec eandem dividere commode possunt, unde eandem fortiori dandum esse sequi. Nullam denique fortiozem pugnam iudicandam esse censet, quam ubi quilibet habeat jus, ut vitam & membra tueatur quantum potest, utaturque omnibus mediis, agaturque omnem actionem, sine qua se non conservare potest. Naturali huic impulsioni addit prædictus Hobb. hominum proclivitatem ad se mutuo laceffendum, quam ab affectibus, præsertim vero ab immani sui æstimatione derivat, si adjungas jam eandem jus omnium in omnia, quo alter jure invadit, alter

jure

jure resistit, atq; ex quo oriuntur omnium adversus omnes
 perpetuæ suspiciones & studium, & quam difficile sit præ-
 cavere hostes parvo numero & apparatu, cum animo
 nos prævertendi opprimendique invadentes, negari
 non posse, quin status hominum naturalis, antequam in
 societatem coiretur, bellum fuerit, neque hoc simplici-
 ter, sed bellum omnium in omnes, cum vero bellum con-
 servationi hominum adversum sit, naturam dictare, quæ-
 rendam esse pacem, si haberi potest, si haberi non potest
 defensionem, hancq; *Legem naturæ fundamentalem esse procla-
 mat.* Verum sit venia verbis, videtur hic Dn. Hobbes
 quemadmodum & ab infinitis in hocce puncto est refu-
 tatus, in hac sua illatione & plerisq; in aliis suis ut ut sibi
 speciosis, triformes imo multiformes chimæras, & nescio
 quas metamorphoses quasi in novum producere orbem,
 dum nimium juris sibi arrogat, ac citra necessitatem no-
 vos ac plerisque incognitos adhibet loquendi modos, eo-
 rumque explicationem aut plane omittit, aut ex suo in-
 genio tantum format, omnemq; vetusti ævi eruditionem,
 nisi quatenus ipsius consentit opinioni, vanitatis ac pro-
 pe stultitiæ, si non expresse, attamen tacite, accusat, ceu
 nobiscum sentit de illo Joh. Eisenhart.

§. VI.

Sed ut redeamus in viam unde fuimus digressi, dicimus
 constanter, id quod legis innatæ induit rationem, aliquid
 super additum humanæ naturæ ac habituale quid esse,
 cum neq; sit substantia, neq; ex accidentibus actio, sed qua-
 litas non potentialis, verum habitualis, quicquid con-
 tradicat nobis Dn. Keckermannus Disp. 23. *Cursus philo-
 soph.* Qv. 33. & quidem hoc fundamento cum habitus sit,
 qui multis actionibus repetitis acquisitus, potentiam, quæ

indeterminata erat, determinet ad hoc vel illud, legem
 autem naturæ a primordio nostræ originis impressam no-
 bis esse cum sciat, & idem e justamen respectu non sequi di-
 cit potentiam non manere indeterminatam & vagam sed ei
 penitus adstrictam, ac proinde nullo modo habitum dicen-
 dam esse. Verum notum est, tria in animo hominis fi-
 xas sibi acquisivisse sedes, *δύραμι*, *πάθος* & *ἐξίσι*, jam inqvi-
 rendum ad quamnam harum qualitatatum referri queat
 Lex Naturæ, ad primam nempe *δύραμι* eam commode
 referri posse nego, rationes sunt in promptu, quia tri-
 plices sunt animæ potentia, 1. mere rationales, ut intel-
 lectus & voluntas, 2. mere irrationales, cum brutis com-
 munes ut vegetantes, 3. mediæ quæ rationi non semper
 obediunt, ad obedientiam tamen assuefieri possunt, ut est
 appetitus irascibilis & concupiscibilis. Sed ad nullam ha-
 rum reduci potest lex naturæ, ergo relinquitur eam non
 esse *δύραμι*. An vero sit *πάθος* facilis est conjectura, cum
 imperando omnes dirigat affectus animiq; perturbationes
 ac potentias rationales ut tranquille componere se que-
 ant rationis ad nutum. Manet igitur eandem necessario
ἐξίσι seu habitum esse, qui ex philosophorum consensu
*qualitas est diu permanens, ac difficulter, mobilis, qua promptum
 sit subjectum ad facile exercendas actiones.* Talis qualitas ve-
 ro Lex Naturæ est, per hanc enim homo habilis ac prom-
 ptus redditur ad discernendum inter malum & bonum
 morale, modo ratio rectitudine debita illustrata fuerit.
 Ubi pariter caute tenendum habitum in philosophorum
 Scholis non eandem significandi vim habere, accipitur
 passim pro acquisito, qui per industriam ac studium com-
 paratur, sic studiosus acquirit sibi habitum sapientiæ; de-
 in pro

in pro infuso, qui a nativitate homini non inest sed ipsi postea accedit, qualem habitum infusum puta, appellare potes dona illa prophetica & Apostolica, ipsis tanquam viris *θεωρητικῆς* divinitus concessa. Ultimo pro connato, qui congrue legi naturæ accomodari potest, illum & Græci *ἐμφυτὸν* dixerunt. Hinc recte Zentgrav definit legem naturæ quod sit *habituale & cogenitum ipsique intellectui tanquam lumen recti & semen boni superadditum & intellectui ipsius anima tanquam tabule inscriptum*. Alii alias juris hujus tradidere Definitiones, quidam per id quod ubiq; eandem vim obligandi obtinet quemadmodum Aristoteles. Quicquid sit de illis, eas non improbo, hoc tantum dico minus recte jus illud naturæ definiri per rectæ rationis dictamen, ceu fecit Grotius. Argumenta ipse disputationis conflictus producer. Alias ea etiam velut contrarium svadentia peti possunt ex Osland. observationibus in prænominatum Dn. Grotium.

§. VII.

E volutis breviter iis quæ existentiam, & indolem nativam J. N. quod pro Honestatis fundamento veneramur, concernere visa sunt, nobilem istam Quæstionem utpote tractatu dignissimam & huic materiei convenientem, de Differentia legis naturæ in utroque statu, tam integro quam corrupto, levibrachio adumbrare lubet. Cum enim lex naturæ sit veluti proprietas quædam humanæ naturæ, & radius ex Sole isto dimanans æterno, duplici illam posse considerandi modo absolvi in aprico est. *Primo* si consideretur ut comprehendit sub se id, circa quod etiam actus spirituales occupantur, tum dico legem naturæ in statu integritatis a parte rei, nihil aliud esse quam est lex moralis
cordi

cordi humano impressa, atque sic Decalogum nihil aliud esse quam repetitionem illius legis naturæ primitus hominis cordi inscriptæ, illa enim sanctitas quæ in Adamo fuit conformiter legi concreatæ, est eadem cum illa quæ in decalogo denuo præcipitur & exigitur. *Secundo* si perpendatur prout circa actus versatur morales tantum & civiles, tunc novimus aliquam libertatem etsi languidam post lapsum in homine remansisse in civilibus; in spiritualibus vero omnimodam ejus factam esse jacturam, videbimus legem moralem & legem naturæ non esse unam eandemque, quia in statu integro, ut dixi, Decalogus fuit legis naturæ repetitio, adeoque legem naturæ in isto statu perfectam involvisse sanctitatem & justitiam. Hinc recte possum inferre ac concludere, quod quemadmodum se habet supernaturale, quale est lex naturæ in ordine ad statum primævum, quatenus cum Decalogo coincidit, ad naturale qualiter existit lex naturæ in statu corrupto, privilegio isto orbata divino, sic se habet sæpius indigitata lex naturæ in statu integro ad eandem consideratam in statu lapsus. Ultra ut se respiciunt carnale & spirituale, ita parili modo, ista primæva hanc miserè corruptam. Atque sic discrimen illud in aperto constitutum esse autumamus. Quæ differentia si specifica vocanda est, pugnare pro ea sententia poterint, a Magistro illius D. Osiandro in hanc rem coacervata argumentorum pondera.

§. VIII.

Tollendus porro circa calcem huius capituli scrupulus iste, a quo, licet leve omnino, impedimentum propugnatae nostræ metui possit sententiæ. Solent quam plurimi observare aliquid discriminis intercedere inter vo-

Cab

cabula hæc, jus naturæ & jus naturale, adeoque non
 satis recte uti coniectant, ea inter se confundi debere; quo
 fidem suæ assertioni faciant, inferunt jus naturæ ipsi
 rebus naturalibus cum aliqua necessitate & proprietate
 inesse, seu quod eo recidit, quod sit facultas quædam
 naturalis, quæ rei cuique infixæ hæret. Ita rebus etiam
 inanimatis jus tribuitur, quod est in genuina eorundem
 conditione. Seneca lib. 3. Nat. ait, legem barbæ & cano-
 rum non dum natus infans habet. Aristophanes multas
 avium leges esse dicit. Apud scriptores multa etiam tra-
 duntur de juribus animalium & legibus astrorum. Jus
 vero naturale referunt ad agentia rationalia, quia, inqui-
 unt, est vinculum mentis cum ratione inditum, obligans
 ad observandum honesta & congrua, vitandum turpia
 atque iniqua, quod consistit in aliquo dictamine & præcepto
 connatæ rationis, multumque differt a rerum propieta-
 tibus. Item dicunt naturæ jus esse in sanguine ut con-
 servatur, at idem non semper jus naturale, per quod fas
 effundere pro nostra aliorumque defensione, & pro aver-
 tenda noxa communi, ut in pœnis capitalibus evenit. Cor-
 poris multa sunt propria, velut jura ejus at per natura-
 le jus contra illa, licet multa pro usibus nostris aut
 vitæ socialis. Concludunt denique quod juri naturali hoc
 jus naturæ ut regulæ subsit, & cedit in normam justæ.
 Verum cum hæc vocabula a viris solidioris eruditionis
 promiscue usurpentur, an proinde reale aliquod Discrimen
 admittant, appellamus ad sincerum sapientis iudicium,
 illud tantummodo adstruendo, quantum intellectus
 nostri imbecillitate assequi quimus, jus naturæ nimis late
 & improprie acceptum, tribui posse ejusmodi facultati-
 bus ac proprietatibus naturæ.

Addere etiam his coronidis loco placet, quomodo, lex & jus differant, item quomodo lex distinguitur a Consilio & Pacto, siquidem hæc a nonnullis non accurate utpote distincta discernuntur; quantum ad prius, tunc sciendum quidem est, juris vocabulum sæpe coincidere cum lege, ubi cum primis pro complexu legum ponitur, interim tamen jus generalius nomen est, ut inquit Isidorus, lex autem tanquam juris species, vel ut differit Doct. Dannhaver. quod Jus & Lex se mutuo respiciant ut signum & signatum. Quomodo vero Consilium & Lex discrepant, perspicue exponit Cl. Pufend. insimul ostendit ex Hobbio qualis differentia exsurgat inter pacta legesq; Pactum ait est promissum, Lex mandatum: in pactis dicitur *faciam*, in legibus *fac*, adeoq; pacto non tenentur, nisi qui suo consensu sese obstrinxerint, Lege autem obligamur, quia antea ejusdem auctori obsequium debebamus.

Sed ne videamur extra oleas divagari, idcirco relictis hisce pedem promovemus ad id, quod primarium nostri argumenti esse volumus. Fatemur equidem plurima a nobis ommissa esse nobilissimæ Legis hujus Nat. considerationi insigniter inservientia, verum cum ratio nostri instituti non fuerit inquirere in naturam J. N. præcise, quæ tum uberiores ex æquo postulare deductionem, sed in quantum ut fundamentum ipsam respicit Honestatem; existimamus nos, a quolibet cordato haud difficulter benignam mereri cenfuram. Si vero alicui in mentem veniat, hæc a nobis justo latius deducta esse, volumus secum reputet, nostrum neutiquam fuisse institutum ista in publicum edere ostentandi aut vanæ gloriæ captandæ gratia, qui utiq;

antique mos nonnullis frequens ste, emittere nimium in lucem ingentia volumina, ac si Iliades Homeri de novo typis divulgarentur, quæ quidem primo intuitu frontem præferunt superbam; opinionem vero, sacrum illum morbum, ipsi, istorum operum de se foveant authores: ast ubi intima eorum penetraveris, inepta honestis commista reperies. Sed ut dixi ista chartæ mandare volumus, partim ob insignem illam, quam adferunt in practico studio utilitatem, partim ut ingenium in hoc studiorum genere non adeo excultum, speciosæ hujus materiei enucleatione expoliremus.

Exponet ergo Caput sequens naturam & indulcens Honesti.

CAPUT TERTIUM.

§. I.

En! prodit jam in scenam castissima illa virgo Honestas, Vesta sacrata Diis dicata Angelis, pergrata mortalibus cunctis. Non turgido ambulat fastu, ut spernatur; non elato superbit vultu, ut explodatur, sed amabili incedit facie, ut recipiatur. Hæc illa Helena quam cum Paride strenue ambiant sæculorum principes; hæc illud oraculum Apollinis, quod assidue consulant sapientiæ proceres; hæc demum illa Dea, quam venerentur omnes religionis aræ, colant cuncta prudentiæ tribunalia, & honore inactent veræ fortitudinis castra. Relatum legimus, Romæ quondam imaginem fidei sic fuisse expressam, ut ab una parte flaret forma viri, cui nomen erat adscriptum honoris, ab alia parte forma virginis, caractere veritatis notata: hæc autem ita erat disposita, ut honori dextram quasi porrigeret. Inter has duas statuas media quædam stabat alia, & venerabili

rabili adspēctū & nomine, cognomento Amoris digna. Effigies sane perpulchra, sui artificis ac magistri ingenium insigniter commendans. Venustissima nostra Honestas, apprime officium heic exsequitur Veneris, cujus latera non injuria par colossorum prænominatorum claudit, quæq; in hoc etiam sublunari orbe, medias inter utrumq; hunc sexum, quem pyramidalia hæc opera adumbrant, tuetur partes, ut distincta invicē sese decenti concordia respiciant. Illa insuper mediatoris obit munus in omnibus nostris actionibus; ut facile dicas has sibi fore dissimiles, suisq; authoribus ultro minari ruinā, ni ejus nempe honestatis sincero tinctæ fuerint temperamento. Quem admodum corpus nostrum exulante forma intrinseca quæ illius est anima, adeo fœdum visu fit continuo, ut nares quoq; atque oculos offendat, ita pariter actiones nostræ, quarum vigor & Spiritus Honestas non incommode dicitur, ni illa tanquam sale conditæ fuerint, ingratum nec suæ intentioni congruum ex facili sortiuntur eventum. Et quoniam augustissima quæq; species, plurimum ut inquit Latinus Pacatus, creditur trahere de Cœlo, operæ pretium erit, rimari altius Honestatis hujus augustissimam indolem.

§. II.

Siquidem in confesso est agens rationale singulari polle-
re excellentia, tum ob suæ naturæ præstantiam, tum ob conditionis suæ & status dignitatem, & deniq; ob nobiliorem agendi rationem, ob quam etiam summus rerum arbiter merito ab ipso exigit, ut congruentem ac convenientem suæ eminentiæ traducat vitam, inclytæ honestatis radio illustratam; in hoc etiam id quod humanæ naturæ conveniens dici debet, poni debere necesse est.

Quod

Quod cum desumatur ab ipsa hominis natura & non ab
 opinione, audire hic placet Stoicos, quid ipsis videatur de
 modis loquendi, scilicet secundum naturam vivere, &
 ducem naturam sequi. Hos *Rachelius* ex mente illorum
 sic exponit, ut per naturam intelligant illam animæ no-
 stræ excellentiam, qua a bestiis sumus discreti, quam in
 vita sequi, esse *honestatem ac virtutem* colere, in eoque etiam
 felicitatis humanæ apicem consistere dicunt. Quarum
 phrasium vis pariter colligi possit, exinde cum inquirunt
 nihil æque nostræ adversari naturæ, quam *turpe*, item
 naturæ rationem esse legem quandam, quam omnes sequi
 debent. Igitur argumentari possumus, si nihil æque nostræ
 adversatur naturæ, quam *turpe*, sequitur vi oppositorum
 eidem nihil magis convenire quam *honestum*. Applau-
 dit huic illationi Seneca præcipuum Stoicæ sectæ fulcrum,
 existimans omnia vitia contra naturam pugnare, debi-
 tumque ordinem deserere. Ex hisce etiam rationibus na-
 ta est ipsis illa *Decorum* descriptio, qua asseriebant decori no-
 mine venire id, quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo,
 in quo natura ejus a reliquis differat animantibus. At super-
 sedemus hujus rei hic ulterius declarare genium, quomodo
 nimirum *Decorum* ab *honesto* distingvatur, cum in sequen-
 tibus ansa nobis obrepat de hisce fusius differendi. In admi-
 ratione interim non possumus non adduci ex illis prædictis
 enunciationibus, cur nonnulli tam sinistros verborum il-
 lorum semet exhibuere interpretes, cum intempestive affir-
 marunt, ex hisce *Stoicorum* assertis talem emanare conclu-
 sionem, hominibus puta brutorum instar ac belluarum
 vitam transigendam fore, cum nihil minus quam talis il-
 lorum fuerit mens, quamobrem etiam suæ sententiæ pa-
 tronos nacti sunt Christianos doctores, præterquam quod

ex ipsis Gentilibus ipse Tullius aperte declaret hunc, quem supra indigitavimus verbis *Stoicorum* inesse valorem & non alium, dum lib. I. de leg. *Sic sermocinatur: Non est quisquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus ad virtutem pervenire non possit.* Igitur cū illa solummodo secundū naturam hominis qua rationalis & socialis est, dici debeant, quæ rectæ rationi ejusque dictamini & vitæ sociali secundum rectam rationem instituendæ sunt consentanea, quæ omnia quoque non nisi justa & honesta existunt; bene docuere *Stoici secundum naturam vivere* hoc involvere, ut homo divinæ se subjiciat voluntati, & operam quamcunque in honestatem ac virtutem impendat, ceu explicat hoc *Lipsius.*

§. III.

Igitur illa hominis excellentia dignitasque potissimum in honestate consistat, ex rationis & appetitus consensu emergente, adeo ut quidquid recta ratio ut bonum & verum dicitur appetendum, illud facili obsequio prosequatur appetitus. Illa etenim faciem veluti nostris præfert actionibus, quare si recte præluceat in devia abripi nequimus; sin minus, pro lubitu nos facit erroribus obnoxios. Nam veluti speculum male conformatum distortas refert imagines, & bilis suffusa lingvæ, de saporibus eam recte judicium instituere vetat; sic ratio nostra falsa specie dementata, non ægre nos circa actiones morales decipi patitur. Dispicendum itaque unde illa rationis rectitudo originem ducit, ubi in antecessum observatu dignum est, aliud esse ipsam rationem, aliud denique ejus rectitudinem. Quod attinet rationem ipsam, apparet eandem in se & præcise consideratam, nihil nisi physicum involvere respectum, idecque inapte ab *Hobbesio* pro lege naturæ haberi, cum contravenire rationi non ideo non liceat

liceat quia ratio ita dicitur sed propter rectitudinem, h. e. propter legem qua omnes obligamur quamque proponit. Ergo dispalescit rationis rectitudinem, non absolute connasci nobis quemadmodum ipsa connascitur ratio sed industria quoque diligentique expensione acuminari rerum, congenitoque isto & insito illo lumine practico illustrari, quod proinde rationi quam primum superadditur, eam illuminando dirigit, ac severe prohibet sibi ab ea contraveniri ob tam amabilem sui semel cum illa factam conjunctionem. Sequitur itaque necessario ut primo concipiatur in homine mens sive ratio tanquam facultas quaedam animæ naturalis, secundo rectitudo ipsa quæ oritur ut dictum est ex principiis honesti. Nam sic, ut studio ceu solertissime docet Zentgrav. experientia, visu audituque comparata cognitio, luminis instar est intellectui in suis operationibus, vel sicut artis alicujus cognitio rectitudinem intellectui effectivo conciliat; itaque que lumen veri semenque insitum boni illustrat intellectum practicum, conciliatque eidem rectitudinem moralem in rebus agendis, ut quid in vita sequi, quid fugere conveniat, recte judicare & ratiocinari possit.

§. IV.

Diximus rationem rectam fieri per ipsum jus naturæ & hocce etiam subsequens crebrum virtutis exercitium. illud vero in dissimili occupatur materia, in necessariis puta ac contingentibus, & indicat rectam rationem pro objecti sui conditione distinctam sortiri denominationem, adeo ut alia denominetur *Theoretica*, quæ tunc censetur speculative recta quando conformis est rei, quam enunciat: alia *practica* quæ practice est recta quando prudenter

ter dirigit voluntatem, id est, quando proponit ea voluntati, quæ adhibita morali diligentia, judicat esse honesta & legi æternæ consentanea; alia demum *effectiva*, quamquam hæc ultima sæpissime comprehendatur sub practica, quæ tum in sensu latiori accipienda erit. Aristoteles facit quinque habituum mentionem, qui huic usui inservire possunt, ita ut intellectum Theoreticum perficiant tres habitus, qui nomine intelligentiæ, scientiæ & sapientiæ decorantur, illumq; debito modo in necessariis instruunt, ut illorum ope quid verum existit non difficile colligere queat. Intellectum vero practicum strictè jam acceptum informat Prudentia, quæ in moralibus discernere possit inter honestum ac turpe, seu quid hominis conditionem deceat vel dedeceat. Atq; sic Practicus intellectus etiam res intelligit & apprehendit æque ac Theoreticus, sed non eo fine ut nudam rei veritatem cognoscat, inque ea cognita acquiescat; verum ut quod cognoscit agatur & fiat, ideoque ulterius se exserit, consultando, deliberando, quomodo quid fieri possit, ut erudite inter alios hac de re differit disputatq; Celeberrimus *Profess. noster Wanoebius* in *Disquisit. Pract.* Intellectum demum effectivum in artificialibus versantem, exornat ultimus ille habitus qui titulo *artis* insignitur. Hi singuli habitus cum gradus virtutum sint, erunt etiam consequenter rectæ rationis, ita ut cui Recta Ratio absolute tribuitur, necesse habeat ut omnibus hisce virtutibus mentis polleat.

§. V.

Sufficiunt jam ista, qua notitiam aliqualem indolis *Snativæ Rationis* cum adhærente ejusdem *Rectitudine*, utpote nostri discursus quavis ex incidenti interiorem facient

faciem non mediocriter dilucidantis. Plura ejusdem illustrationi inservientia dabimus, ubi de *norma Actionis Honestæ* acturi sumus. Nos hac vice pro lege nobis injuncta, nostri officii memores, secundum istud in ordine *Principium Præcticum* quod materiam nostræ dissertationis præcipuam esse novimus, sub exquisitiōis examinis incidem revocare volumus; ubi caute præmonemus *prima ista principia præctica* nobiscum connata, tanquam rudera & reliquæ concreatorum quondam cœlestium donorum, in primo isto mundi filio, ratione *prioritatis essentia* vel *natura* seu *durationis* & *cognitionis* esse ordinis æqualis, cum nullum illorum, modo essendi, naturali alterum antecedit, sed simul cum essentia hominis in utero materno esse incipiant, quamvis eadem non statim se exerant, quod demum fit ubi adultior ætas paulatim sese insinuando, ratiocinium mentis maturius reddit. *Quæcumque nobis à natura obveniunt, eorum potestates prius accepimus postea vero functiones muneris obimus, quod in sensibus manifestum, neque ex eo quod sepe vidimus aut sepe audivimus sensus adepti sumus, sed e contra cum sensus habeamus eis usi sumus, non quia usi sumus habemus, monet Arist. in libb. Eth.* Quod autem attinet *prioritatem enumerationis*, existimamus pro arbitrio recensentis istam esse arbitrariam, atque sub hoc titulo salvari id, quod diximus nostræ heic esse considerationis secundū nempe istud in ordine principū, quod suffragio celebriorum practicorum audit, *boneste esse vivendum* cui consonat tertium, bonum adpetendum, & ex his sponte fluentia consecutaria, turpe fugiendum, malū averfandum.

§. VI.

ET quoniam in aprico est, id quod *Honestum* centetur, non una se prodere facie, sed variis innexum involu-

E

cris

cris sese ostentare, multiformes propterea ejusdem acceptiones ductu doctissimi ICti Sam. Rachelii discutere placet, antequam descriptionem ejusdem producamus. *Honesti* nomine *primitus* soepe venit id, quod affinitatem aliquam habet cum ipsa virtute, eique conciliat splendorem quendam, cum aliquo ornamento decoris temperatam, sic, ut exemplis utamur laudari authoris, Artes ingenuas solemus honestas adpellare, non quod vir bonus aut honestus esse nequeat, quod iis destitutus sit, sed quod talem virum valde deceant, cum virtute amice conspirent, illi adminicula aut dignitatem luppeditent. Ratione non absimili dicit educationem adpellari honestam, quod illa teneros mores fingat. formet, & ad omnium elegantiarum culturam instruat, idoneis præceptis ac monitis firmet imbuatq̃. *Prætorum* honesti adpellationem vendicant sibi ea, quæ virtutis sunt adjuncta, signaque eidemque non tam sunt necessaria quam honoraria, nec ad ejus constitutionem, quam consecutionem adeoque ad ejus magnificentiam faciunt, sic bona fama, character quidam honoris, existimatio, *honestatis* vocabulo insigniuntur, quæ tamen si fas est dicere, non tam ad ipsam virtutem quam ad felicitatem civilem spectant. Summum hominis bonum inquit Nob. Gyldenst. ex Piccol. situm est in virtute ut in *fundamento* in actione ut in *forma* & postrema perfectione, in voluptate ut in *affectione*, in naturæ & fortunæ bonis, ut in *instrumentis* in honore & gloria ut *signo*, in animi tranquillitate, & vita naturæ consentanea ut in *fructu*, in DEO ut *objecto* in conspiratione omnium honorum ut cumulo. Et ob hanc rationem nonnemo definivit *Honestatem*, quod sit *Honor perpetuus ad aliam partem secundo populi romare delatus*. Insuper honeste-

nefti specie decorantur ea quæ non funt inhonefta, hoc effi-
 ceu explicat fœpius indigitatus ICtus, quæ a virtute feu
 genuina honeftate non abhorrent, & cum illa conjungi &
 fubfiftere poffunt vel quod *Honefto* & *Iufto* non adverfan-
 tur, qualia funt ea quæ *liciti* rationem induunt, diftinctè
 tamen à verè jufto & honefto concipiuntur. Exempli
 gratia plurimæ artes, quamvis viles, honeftæ adpellantur,
 quod à viro honefto non funt alienæ; lucrum etiam bonis
 artibus & industria, non ex fœnore & rapinis fimilibusque
 flagitiolè acqviſitum, *honeftum* vocari ſvevit. *Uttimoid* quod
 ſinceræ *Honeftatis* titulo nobilitari debet, & quod hoc no-
 mine etiam germanum cenſetur, obque eminentiæ ſuæ
 dignitatem, principem inter cœtera obtinet locum, eſt il-
 lud *Honeftum* quod in virtute morum & actionibus inde
 manantibus puta reſtificatis conſpicitur. Hoc pariter ſuo
 teſtimonio adſtruit Stoicus ille philoſophus; *Summus inqviſ*
ſinis vel ſummum bonum eſt quod honeftum eſt, & quod magis ad-
mirere, ſolum bonum eſt, quod honeftum eſt. En verba verè
 aurea homine Ethnico plusquam digna, adjicit ſymbolam
 ſuam hiſce verbis licet intricatioribus Richardus Cum-
 berland, dum officia in rationali ſyſtemate præſtanda be-
 nevolentia contineri docet, hanque latiffimè diffuſam eſſe
 dicit, tanquam officiorum noſtrorum principium, menſu-
 ram, regulam, unicamque legem, qvin etiam actionum no-
 ſtrarum *ſinem*, ampliffimum quod expeſtimus præmium,
 ſummum denique bonum.

§. VII.

JAM ad *Definitionem* ipſam *honeſtatis* ubi pariter eam quam
 Jâ Philoſopho confabricatam invenimus, hic adhibere
 placet, talem enim exhibuit, quæ ſic apud eum

legitur: *Honestas est veritas quam sequatur & admittat Appetitus.* In qua Definitione innuit author, istam veritatem, quam inquirendo, Ratio adpetitui adpetendam & sectandam demonstrat, eandem etiam ut bonam persequi debet adpetitus & vice versa. Ast quicquid sit de illa Definitione, illam quidem penitus rejicere non audemus, cum doctissimos suæ *bonitatis* habeat defensores; interim tamen aliam in medium proponimus, quæ ut nobis videtur, proprius ad regulas Definitionis ne dicam exactæ accedit, & rem explicatius dilucidat, hoc modo, *Honestas est moralitas, consistens in conformitate voluntatis adpetitusque cum eum rectaratione & lege naturæ.* Genus datæ Definitionis ponimus moralitatem, cujus formalem rationem in æstimabili valore collocamus, ex hoc enim quod aliquid homini convenit, & eo dignum est, sequitur quod ei possit ac debeat præcipi. *Æstimabile* autem cum Tullio vocamus id, quod aut ipsum secundum naturam sit, aut tale quid efficiat ut selectione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum æstimatione. Diximus *formalem* rationem *moralitatis* consistere in æstimabili valore, quod tenendum adversus illos, nescio quævis suffultos argumentis, statuentes *morale* ac *liberum* sub eadem notione venire, atq; sic identificari ut loqui amant. adeoque confundunt distinctissima, actum puta in genere naturæ & in genere morum spectatarum, censentes actum humanum spectari in genere morum quando consideratur ut liber, cum libertas potius ad actum humanum in ordine physico consideratum pertineat. Recte inquit Becanus: *tum actus humanus censetur spectari in genere naturæ, quando præcisè spectatur quoad suam naturam & entitatem.* Jam vero actus humanus voluntatis, per naturam

suam

suam sunt liberi, ceu à libera voluntate libere eliciti. reperiuntur & aliæ opiniones quæ plurimis haud de sece vulgi viris non parum negotii facefferant, quas brevitati studentes, lubentes quoque sicco quod ajunt præterimus pede.

§. VIII.

Constans fuit sobrie philosophantium conclusio, omne genus latius diffundere se suo definito, jam indagare animus est, an hoc ipsum de nostro verificari queat, quod equidem omnino asseverandum, cum *honestum* ac *turpe* natura talia inter species 7^æ esse *moralis* numerentur, ita ut, non tantum *honestum* sed & ejus oppositum *moralitatis* appellatiouem fortiantur. Ubi vero id quod recta dicitur Ratio negatq; voluntas actu persequitur appetitivo, seu reprobativo auersatur; ibi eadem ex facili Rectæ Rationi conformatur vel minus. omnis enim honestatis decor, qui in virtute micat, in hoc amabili rationis & voluntatis appetentis concordia situs est. *Quia appetitus principium est mentis agitatio, prælectionis autem appetitus, eris aut mens. quæ appetitu, aut adpetitu, qui tali mentis agitatione utitur, ipsa prælectio, hac autem soli illi animali competit quod ratione est præditum id est homini.* Ex allaris liquidius innotescit tum *honestum* oriri, quando quod ratio affirmat, appetitus persequitur, & quod illa negat, hic quoque auersatur. Quippe dicente *Rachelis*: Ubi ejusmodi Rationis & appetitus est dispositio atque concordia, ibi animus veris ad honestatem dotibus est instructus, sic ut illa non solum externis actionibus se prodat, sed quoque ipsis habitibus honestis animum imbuat perpeli atque.

§. IX.

Ut *Honesti* indoles exactius perficiatur, existimamus nequaquam ambigendum, nobile hoc divinitatis depositum natura tale existere, ante omnem impositionem tam divinam quam humanam, quoniam non nesciamus heic cautelam quandam attendendam esse, cum *moralia* in duplici sint differentia, alia *naturalia* alia per *impositionem superioris* & *quæ lege talia sunt*, qualia verbi gratia sunt cum quæ in se indifferentia, legibus positivis prohibentur vel jubentur. Ita illa *moralia* nimirum natura talia, antecedenter se habent ad omnes morum regulas actu propositas, semper enim nulla mandante lege *honestum* hoc judicatur, *colere DEum, honorare parentes, & vice versa turpe malumque* habetur nulla id prohibente lege, *Deum convitiis profindere*, si ne Deum quidem dari cum Grotio maxime fingas, & æque æternæ veritatis est propositio inde facta, atque hæc: Homo est animal rationale. Quod si ergo *antecedenter*, ad omnes morum regulas actu latas datur bonum & malum, honestum & turpe uti ex allatis constitit exemplis, dabitur quoque horum *complexum, morale scilicet*.

Fatemur equeidem sincere antecedenter ad ipsum Deum divinamque essentiam in ordine causalitatis vel ratione *existendi* nihil debere concipi; cum tamen aliquid possit esse objectum divini intellectus, quem puta intellectum ceu principium dirigens, ante divinam voluntatem, ceu principium imperans & exsequens concipimus, quin idem ut objectum divini intellectus, antecedenter quoque ad divinam voluntatem id quod est *esse* dici & concipi queat

queat dubium non est, verba sunt Zentgravii. Res eo
 recidit, quod quemadmodum præcisâ divinâ voluntate
 homo quoad actum essentia est animal rationale, exigen-
 te ita veritate humanæ naturæ, qua aliquid tale est quale
 natura sua esse debet, vel explicatius, cum homo pro
 animali rationali habeatur a divina sapientia *antecedenter*
 voluntatem respiciente divinam, non vero demum per
 liberam ejus definitionem à voluntate procedentem tale
 sit; Deus quoque hominem conditurus, non aliud quam
 animal rationale creare potuisse relinquitur, quia non nisi
 sapientissime id est essentiali & per consequens immuta-
 bili rerum perfectioni convenienter agere debeat: Ita
 parili ratione judicantur Moralistæ, quod præcisâ divina
 voluntate ex concursu *objecti, finis* aliarumque *circumstan-*
tiarum, actum moralem essentium consurgat, *Honestas*
 seu bonum morale, ac proinde semper hic distingvendum
 inter actum *essentie* ratione veritatis suæ consideratæ; &
 actum existentia, quorum prior ad divinam definitionem
antecedenter posterior non nisi *consequenter* se habeat. Sic
 Honestatis principia ratione *essentie* divinam antecedunt
 voluntatem quæquam citra eandem actu existere neque-
 unt. Hinc Gentilis Cicero recte docuit, sicut nec arbo-
 ris nequevi virtus in opinione sita sit, ita quoque *Honestas* ac
Turpia sunt djudicanda natura, confirmante idem Val-
 quez. *Quedam ex se ita esse mala, hoc est inconvenientis*
natura rationali, sicut est calor aqua, ut facta cum illis circum-
stantiis natura sua id habeant non voluntate Dei prohibente, aut
judicio judicante, nam sicut ex se, non ex voluntate aut intellectu
Dei, essentie rerum non implicant contradictionem ceu supra
innucliamus, ut una alteri contraria & discondeniens est, ita etiam
odiosa

odium Dei & perjurium ex se non ex intellectu aut voluntate
 Dei precise disconvenientia sunt homini.

Quæ sic pro re nata æqua rationis lance perpenſis
 diſpaleſcit *Honeſta & Turpia antecedenter* ad divinam dari
 mentem manente hoc nihilominus, quod voluntas
 Dei ab origine obligationis in homine, legisqve ei datæ
 naturalis excludi non debeat, ceu erudite contra Gro-
 tium ſtatuit in commentario ſuo ad eundem Excell.
 Bœcler. Concludimus itaque ex jam allegatis certo
 certius exiſtere quædam hoc nomine *Honeſta & Turpia*
 divinam antevertentia impositionem, quæ non ideo
 ſunt honeſta quia Deus voluit, ſed quia in ſe ha-
 bent ſua natura aliquid honeſtatis bonitatisque, & dari
 quædam turpia malaq; quæ non ideo ejusmodi ſunt quia
 Deus illa noluit, ſed quia in ſe ſunt fœda & proinde viti-
 oſa. Nam ut in phyſicis quædã ita ſunt a natura comparata
 „inquit Oſiand. ut aliter ſeſe habere nequeant, e. g. gra-
 „via tendere deorſum, levia ſurſum quædam vero ut cer-
 „tam quandam cauſam habeant, unde fit ut plurimum
 „eodem modo contingat, at non perpetuo tamen, ut ho-
 „minem dextra uti potius quam ſiniſtra: Ita *juſta* in mo-
 „ralibus ſeſe habent, quædam enim ita ſunt naturalia ut
 „perpetua ſint, & apud omnes ſemper eadem. e. g. *Deum*
 „venerari parentes honorare. Quædam autem paululum
 „inflexuntur, & ab idea communi declinant ſic flagitante
 „circumſtantiarum varietate, quod ipſum eſt ex eo quia
 „aliquod eſſentiæ divinæ magis accedit vel minus, & ad
 „imaginem divinam propius inclinatur vel non; bonum
 „autem & malum, juſtum & injuſtum & ſi non funden-
 „tur ſimpliciter in proportione illa ad voluntatem divinam
 tamen,

„tamen fundantur in proportione ad essentialem integri-
 „tatem illam divinam & inexhaustam eminentiam, quæ
 „antecedenter se habet, & concipitur à nobis ad volunta-
 „tem ejusdem.

§. X.

DE cætero eliminanda prorsus impia illa sententia Hob-
 bii, existimantis id quod honestum & justum vere ta-
 le est, ex legibus civilibus efformari: sic enim philoso-
 phatur sed sibi, docendo Regulas boni & mali Honesti &
 inhonesti esse leges civiles, ideoque, quod legislator præce-
 perit, id pro bono, quod vetuerit pro malo habendum
 esse; item ante imperia inquit *justum & injustum* non ex-
 sistere, ut quorum natura ad mandatum sit relativa, a-
 ctioque omnis sua natura adiaphora. Quod justa vel in-
 justa sit, dicit à jure imperantis provenire. Reges igitur
 legitimi, quæ imperant justa faciunt imperando, quæ ve-
 rant vetando injusta. Sed quam in DEUM & homines in ini-
 qua hæc opinio sit, relinquimus cuilibet cordato cogitandū,
 cum divina rectitudo, cujus in nobis ut multoties dictum,
 resplendentes radii vere supersunt, non in opinione a-
 licujus sed in ipsius natura immutabili fundetur; ut pro-
 inde id quod sanctum honestum justumque audit, revera
 quoque tale imo æque vere tale sit, atque naturalia vere id
 sunt quod perhibentur esse. Unde & in DEO Idea honesti
 ac justii, æque invariabilis, necessaria ac æterna est, atque
 essentialis rerum naturalium sunt æternæ, manente sic certo
 certius honestatem cum suo opposito, ratione suæ verita-
 tis consideratam, ab alicujus impositione non determinari.
 Ut supremam manum huic imponamus discursui, subjun-
 gere lubet decantatum illud argumentum in concessu
 Moralistarum, quo posito eruere licet, quod nostris co-

donatibus insignem conciliat valorem, tum infallibiliter adfert certitudinem. Scilicet *Si essentia DEI simplicissima est summe bona, non solum in se & sua natura, sed & moraliter ante omnem operationem suae voluntatis, sequitur rationalem creaturam, ad ideam intellectus divini tanquam principii cujusdam dirigentis formatam, bonam esse dependenter, praecisa voluntate divina, tanquam principio imperante & exsequente, at verum est prius Ergo & post.* Connexio propositionis utriusque suo jure cum radiat, nolumus eandem prolixius rationum ponderibus corroborare.

§. XI.

Dissensum aliquem in hocce negotio à nobis fovere vult Sam. Rethorfort. dum in sua Philosophia quasi in contrarium nostrae sententiae inclinatur, inter alia haec inferendo verba, scilicet *DEI beneplacitum quatenus à sapiente DEI intellectu determinatur, cujus est verum essentiae & essentiarum gradus effingere & constituere, est causa cur talis res talem habeat essentiam, & gradus entitatis ut s. & b. ut non 7 non plures sint vel pauciores.* Item *cur immolatio Isaaci sit obedientia, cur homicidium, cur esus arboris scientiae sit peccatum.* Item *cur res quae est futura, homo, hoc est, cur homo habet talem essentiam, non aliam, est à Dei decreto libero, at vero postquam res formaliter est, non habet talem essentiam ex dei beneplacito, sed essentialiter.* Postquam enim Deus voluit, ut haec sit natura peccati, nempe quod sit, quod displicet voluntati Dei approbanti, tum si quaeratur cur Deus nolit peccatum, Respondetur non quia vult, sed quia est essentialiter malum: sed si ulterius quaeratur, cur talis sit natura istius rei, quae est peccatum, & illius rei quae est homo, recurrendum semper erit ad fontem altissimum, Dei beneplacitum aeternum, quaedam enim sunt bona & justa antecedenter ad Dei Decretum, sed quomodo? possibi-

diter

liter, nempe ut possint fieri bona & iusta, sequidem Deus vellet, ac vero nulla sunt bona actu, & secundum debitum morale ut debeant fieri, nisi quoniam Deus ea fieri voluit & decrevit. Verum maneat ipsi sua autoritas, nobis satis erit ipsam veritatem dum sectamur ab ipso hac in re, sine tamen ejus nominis ac famæ cavillatione, aliquem moliri dissensum; plurima namque in hacce istius cum inveniantur philosophia, quæ obelo digna sunt, lubentes ea præterimus, præcipue siquidem sui erroris prodant sensum ista altius perpendenti, hancce nihilominus addentes *ἐπιεικῶς*, quod si omnia ad Dei beneplacitum & voluntatem referenda erunt, quemadmodum iste opinatur, sequeretur inde hoc absurdi quod Deus qui autor omnis Honesti salutatur, per naturam suam, & antecedenter ad suum beneplacitum sanctus non esset, cum tamen contrarium ex supra allatis patuit, Deum non ideo primo sanctum esse, quia sancta vult & præcipit, sed potius eum sancta velle & præcipere, quia per naturam suam sanctus & summe bonus existit, nullo hoc determinante beneplacito. Deinde ipsa quoque Honestas, ab ipso dimanans jure naturæ quod sanctitatis æternæ radius est in nobis resplendescens, ratione suæ spectata *veritatis* ante divinam voluntatem & definitionem æstimari necessario oporteat, & non quatenus legaliter præcepta, nec tantum *possibiliter*, verum etiam *actualiter*, eandem existere concipi debet. Quod vero dicat semper *recurrendum esse ad Dei beneplacitum si quærat cur talis sit natura alienius rei* &c. Respondemus cum Dno. Zentgravio, sicut non impedit quo minus triangulum ex tribus angulis constare dicatur antecedenter ad divinam voluntatem, licet idem asserere de rerum essentiis, illisque quæ sunt naturaliter *Honestæ & Turpia*. Non debuit

„debut tibi Deus humanam naturam, sed te hominem
 „craturus. impossibile erat, ut aliam quam rationalem tibi
 „daret essentiam, cum si ita concipias, ante divinæ sapien-
 „tiæ conceptum, verum erit immutabiliter hominem esse
 „animal rationale. Colligit itaque hoc simili, quod si e-
 rit animal rationis particeps, necessario sequitur eundem
 esse agens morale, & id quidem ante quodvis decretum.

§. XII.

Quanquam hæc ita à nobis magno cum adplausu ut
 arbitramur propugnata sint, reperiuntur tamen non-
 nulli, argumenta contrarium quasi suadentia in medium
 vibrantes, quæ non tam argumentorum nomine accurate
 loquendo, quam suppositionum fictarum venire meren-
 tur. Ita enim oggerunt curiositate si ita dicere licet ni-
 mia vel inutili inducti: quid si Deus creasset animal, forma
 externa hominem quales nunc est referens, quod & ipsum tantisper
 hominem vocabimus, sed ut idem non foret rationale ac soci-
 ale & per consequens nec morale. Sed hypotefi huic in re tam
 seria tamque magni momenti ab illis curiose ad modum
 prolatae, Respondemus una cum Nobil. *Pufend.* istud ani-
 mal non futurum verum hominem, qui animal sociabile
 est, sed aliud ferum & horridum, non obstante externa
 figura, inter bruta referendum.

§. XII.

Ferdinand. Vasqvius Ictus excellentissimus & senator in
 summo prætorio Philippi Hispaniarum Regis dogma
 quoddam publici juris fecit, specioso quamvis illinitum
 fuco, rejectæ tamen à nobis sententiæ sensum insigniter
 redolens, ita enim fatur, assummendo primitias sui dis-
 cursus à potentia divina, *Poffet, ait, Deus hominum mentes, hac*

imbueret opinione, bancque legem facere ut hominem homini insidiari,
 aut necem inferre, vel quovis modo nocere nefas non esset, non magis
 quam pecudes, armenta, fera, volucres, vel squammeam turbam
 interficere. Item quibus vetat quoniam possit (sponte Dei) mutare sententiam
 quoad mutuas neces inter sese perpetrandas, existimareque
 id liberum, fasque esse foreque semper. Et iterum alibi inquit,
 Jus enim naturale nihil aliud esse quam rectam rationem, ab
 ipsa nativitate & origine humano generi à Deo innatam supra
 edocui sumus. Ergo si ipsemet Deus contrariam rationem à nostra
 origine mentibus nostris imbuerit, id similiter statuit esse jus natu-
 rale, & ut hoc jus naturale quo utimur, interdum abutimur,
 bonum est quia à Deo infixum est: ita si contrarium nobis dederit
 jus, eo ipso quod ipse dederit, bonum erit. In his licet sint multa
 quæ virgula censoria indigent, pauca tamen tantummodo
 delibamus. Primo autem orditur suum quem hac de re
 statuit sermonem, ab eo, quod Deus potis sit facere,
 & sub hac conditione infert, competere hominibus jus
 committendi quævis violenta impune, in semet invicem, uti
 ex verbis ipsius prolatis perspicue satis dignoscitur: Verum
 forte non errabimus si dixerimus, salva tamē venia tanti viri,
 eum hac in parte quoad antenus eandē cū Hobbio inflare tibiā
 Nonne potius homini conservatio sui à natura commen-
 data est quam ejusmodi discors vitæ genus, quamvis illud
 ex possibili inducat. Vel quis credat velle sanctissimum numen
 sanctitati & justitiæ suæ bellum indicere voluisse, ne dū
 potuisset, cum ejusmodi non cadant sub potentiam divinam.
 Contradictorium enim est Deum creare potuisse homi-
 nem ad ejusmodi legem naturalem adstrictum, quæ con-
 traria contineret præcepta isti legi, quam homo pro tem-
 pore possidet; quia si ad contraria officia istis à natura
 sibi inditis obligatus esset, quemadmodum ipsius Vazquii

mens est, non is homo, sed aliud animal horridum ac ferum esset. Præterea de jure naturæ qui recte disputare vult, necessum est ut talem supponat conditionem, cui talia jura ab ipso Deo lata, sint accommodata. Itaque cum à Justitia divina jus naturæ effective sit profectum, illud naturæ humanæ rationali, & sociali tranquillitatisq; cupidæ erit conveniens, non autem naturæ corruptæ, vitiosæ, malitiosæ. cujus instinctu homo homini sit lupus. Insuper si ista firmo starent talo quæ in illatione tua à nobis annoata adducit, prænomminatus Vasquius Senator Regius, sequeretur etiam hæc absurditas, *nullum esse Atheismum, Epicureismum, Diabolismum, Magiam, odium & abnegationem DEI, blasphemiam quam DEUS non possit libere velle mandare, & ipso factò injungere, tanquam moraliter ac spiritualiter bona, ac sibi placens inquit Voët.*

CAPUT QVARTUM.

§. I.

Hisce sic ex voto confectis, conceptuum nostrorum ordinem tandem poscere videntur ea, quæ spectant ad cognitionem distinctam principiorum, ex quibus per se & naturaliter citra impositionem alicujus superioris emergit Honestas, siquidem Rectitudinis Moralis indoles talis esse amat ut necessario consurgat ex concursu plurium requisitorum, quo nomine actus moralis non quid simplex, sed complexum quoddam, quod ex concursu *agentis, objecti, finis* aliarumq; *circumstantiarum*, cum actu conjunctarum exoritur. *Primo* naturam ipsius Agentis cui valor ille inest moralis, nobis hæc ob oculos ponemus, multum quippe etiam remota lege

lege refert ait *Zentgraf*. quis agat. item, num ex habitu, an ex dispositione proficiatur actus aliquis, quo etiam in statu & officio persona vivat. Nam crimiñosior culpa inquit *Salvianus* ubi *honestior* Status: si honoratior est persona peccantis, peccati quoque major invidia, & atrocior sub sancti nominis professione peccamus. Ubi sublimior prærogativa major est culpa. Fundamentum quippe ejus quod personæ conveniens esse queat, observarunt Doctores esse statum ipsius, tam publicum quam privatum, qui status ejus modi inferunt condiciones rei seu objecti, ut non indifferenter admittant omnes, sed certos tantum circa se, sibi que congruos actus.

§. II.

Hanc actuum dehinc singularitatem parit tum varietas loci, tum conditio peculiaris cujuslibet, orta ex vita qua vivit & dignitate ipsi accedente: nam quemadmodum in spatio corpora naturalia sunt, agunt & moventur naturaliter, suamque naturalem habent existentiam; ita in *statu* ait *Nob. Pufend.* res quoque suam moralem quasi ponunt existentiam, & actiones suas atque effectus exerunt. Præterea in agente requiritur arbitrii libertas, hoc est an quis deliberato consilio vel invitus quid perpetraverit. *Multum perinet ad rem, quo proposito ad quodcunque accedas* dixit *Senec.* Non eandem induunt rationem istæ actiones, quas committit aliquis affectuum vehementia superatus, vel inscius, vel pleno animi proposito sive consilio destinato. Duo enim cum faciunt idem non est idem. Puerum excusat ætas; sceminam sexus; extraneum libertas; domesticum familiaritas, loquitur idem *Senec.* Relinquitur itaque his positis semoto omni jure præceptivo,

aliquam *bonestatem* seu moralitatem in ipso agente sitam esse, cum si contrarium quis adfirmaret metuendum hoc incommodi, nihil tum differentie intercedere in genere morum inter actum creaturæ & agentis rationalis.

§. III.

Q uod objectum attinet & concernit, existimamus in eo maximum momentum positum esse ad specificandam *Honestatem*, sive ejus contrarium, quippe cujus intrinseca habitudo, actionibus etiam nostris mere naturalibus quandam superaddit moralitatem. Non enim objectum aliquod *Honestatis* titulo decoratur ideo, quia ejusmodi de eo format rectum judicium, hominis intellectus, vel quia illud ipsum rectè actu prosequitur adpetitivo voluntas: sed potius ideo, quia objectum per se & sua natura, ante omnem impositionem, *Honestum* est, adeoque ideo voluntas *recta* est, quæ illud adpetit, & judicium rectum quod de illo fertur. *Recti* namque mores non faciunt objectum honestum bonumvè, ut ab illis suam sortiatur denominationem: sed ex adverso potius ab objecto honesto, *recti* mores propullulant. Ratio additur à *Beccano* quia sicut omnis actio voluntatis, præsupponit aliquam actionem intellectus, ita actio voluntatis circa honestum præsupponit judicium de objecti bonitate. Objectum sæpe habet hoc ut certo actui sit congruum vel incongruum, ac ad id sui admittit adpetitionem, vel contrarium. Hujus vero congruentiæ basis & incongruentiæ, inter actum ipsum ac objectum, petitur ab ipsa natura rationali, prima inquam regula cui scilicet actio conformis esse debet, est natura ipsa rationalis, *reduplicativè* talis, monet *Gab. Wasqvez*. Nam illud quod est conveniens & consonum naturæ rationali

qua-

quatenus talī dicitur bonum & honestum, quia consentit dignitati ejusdem, quod vero dissentaneum, & disconveniens est eidem naturæ, ob rationem eandem quia dissentit turpe audit. Ideo enim malum est furari, quia non decet nec convenit agenti ex ratione; contra verò elargiri elemosinam indigenti, ideo bonum est, quia amice conspirat cum creatura rationali. Quare sicut res naturalis habet speciem suam à forma, ita actio habet speciem ab *objecto* tanquam motus ex termino. e. g. *dare*, *amare*, *honorare*, actus merè sunt naturales, quibus in se spectatis nulla inest *moralitas*, adeoque nec boni sunt nec mali, sed si referantur ad objectum debitum, utpote si dicas dare elemosynam pauperi, amore Deum prosequi, Magistratum & parentes honore mactare debito, jam hisce actibus accedit aliqua *moralitas* videlicet *Honestas*. Deus enim Magistratus & parentes talia sunt objecta, circa quæ bene & malè operari possumus. Patet ergo hinc objectum in se talem continere valorem moralitatis, ut etiam causa existere possit moralitatis in actu. Quia relatio quædam intercedit inter actiones nostras & accommodatum illis objectum, idcirco ex mutua utriusque seu congruentia seu discrepantia honestas vel turpitudine resultat. Quemadmodum prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quæ dat ei speciem, ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti. Et sicut in rebus naturalibus, primum malum si res genita, non consequitur formam specificam; ita primum malum in actionibus moralibus est quod ab objecto nempe in se malo procedit, notat acute Osiand. Proinde inferimus actum interiorem seu voluntatis, suam accipere speciem & honestatem ab Objecti sui ut boni qualitate, actuque interiori,

quatenus spectatur in genere moris, illam ab objecto desumptam bonitatem esse *essentialem* ultro asseveramus indubius moti rationum fundamentis, quæ ipse conflictus publicus, si ita e re fuerit, modeste producet.

§. IV.

Jam ratione ordinis, consideratio ipsius finis sese insinuat, non enim sufficit nec satis est ejusmodi vacare actibus, qui ex objecti habitudine honesti rectique induunt rationem; nisi pariter sedulo attendas id, ut te ad honestatis cultum non tam ullius optatæ rei cupiditas & plausivolis impellat imago, quam ipsa venustissima ac nativa honestatis facies alliciat ac exstimulet. Quippe bonum hoc revera tale est, uti abunde hætenus probavimus, etiam citra impositionem tam divinam quam humanam, adeoque propter semet ipsum experi ac amari debet, & meretur. Quo circa larvam tantum & idolum aliquod pro honestate ostentant illibata sinceraque, nec serio sed simulando rem peragunt, quibus curæ cordique non est conatibus suis & cogitationibus honestum & decorum proponere finem; sed eosdem ad ostentationis splendidæ vel verius sordidæ, voluptatis illicitæ, utilitatis detestandæ aucupium referunt. Actiones quippe humanæ quæ versantur circa bonum aliquod natura tale, sine ullo ordine ulloque respectu ad honestum finem, malæ & inordinatæ censentur & reputantur.

Oggerere aliquis potest & sententiæ contrariæ in se derivare defensionem, præcipue is cui hæ voluptatis & utilitatis larvæ in delicias cesserunt istas naturæ bona esse. Ergo qui aliquam adperit voluptatem & utilitatem, inordinate agere censendus non est: Verum ejusmodi delicatulis, quos dementata honesti species sub hujce voluptatis &

is & utilitatis involucris fascinavit, responderemus inprimis per concessionem, esse quidem easdem naturæ bonæ ut sic, sed non tantum, verum etiam fortunæ debere easdem haud parum. Deinde dicimus tales res voluptuarias & utiles quæ honestatis velantur tegumento, non experiri propter se, sed propter aliud, nempe delectationē, atque sic in solidum & totum ab illo quod honestum revera est, exulat.

§. V.

Quomodo vero *finis* in moralibus se exlerit, declarat nobis *Thomas*. In moralibus inquit forma actus principaliter attenditur, ex parte finis cujus ratio est, quia principium moralium est voluntas, contra objectum & quasi forma est finis, semper enim forma actus consequitur formam agentis: unde oportet in moralibus, id quod dat actui ordinem ad finem, det ei formam. Siquidem nisi finis actum moralem imo bonum etiam & malum in genere morum seu principium formale redderet, actiones finibus non distinguerentur. Verba sunt *Zentgravii*, quod tamen *Philosophorum* decretis non consonat. Et quoniam in actibus humanis duplices occurrunt fines, unus intrinsecus & proximus, qui identificatur objecto, & solet vocari finis operationis vel operis, alter extrinsecus & remotus, qui differt ab eodem appellaturque finis operantis; videndum jam uter horum nostro inserviet instituto. Dicimus in quam posteriorem illum hoc nomine præcipue se nobis commendare, cum prior nihil aliud à parte rei significat quam ipsum objectum humanæ operationis, & non magis dubitari potest actum humanum ab eo, quam à proprio objecto sumere speciem ut loquitur *Osiand*. Finis autem operantis consistit in hoc, ut quis agat propter finem

cum omnis actus ex deliberata ratione susceptus, ad certum oportet ordinari finem, & ille idem operantem afficit, *ratioq;* existit *sub qua* agens in objectum tendit propositum. Quo modo verò agentem moveat, & suam exerceat causalitatem cum non dum *manifestatur* in actu, pluribus exponunt Philosophi. Exercet suam causalitatem 1. respectu *efficientis* quam movet & exstimulat ad agendum. 2. respectu *mediorum* quæ imprimis præscribit. 3. respectu *rei effectæ* terminat operationem agentis eundemq; tranquillat & satiat uti nervole hoc inter alios in Colleg. suo Logic: exprimit parens meus cum honore nominandus *Doct. Jacob Flachsenius*. Insuper *finis* habet hoc præ cæteris causis ut possit causalitatem suam exercere, quando non dum est in *esse reali*. Dari autem ejusmodi fines quibus ratio *boni & honesti* sub qua omnis adpetitur finis, per se non ex præcepto demum divino infit, dubitari nequit. Quis gloriam Dei quæ omnium actionum nostrarum finis ultimus esse debet, finem in se bonum esse, quæ æque ad divinam voluntatem antecedenter, atque ad eandem divinæ majestatis excellentia se habet, negaverit. Siquidem finis secundum se bonus honestus & proportionatus actui, quo adpetitur, humano actui, confert bonitatem, quamvis non negamus ex intentione agentis plurimum etiam valoris eundem nancisci, exempli gratia si finis operantis est bonus, & objectum circa quod eundem exercere intendit malum est, dicimus actum illum simpliciter malum esse, adeoque non habere speciem turpitudinis & honestatis, sed turpitudinis tantum, ut si quis bona alterius Domini ipso auferret invito, animo largiendi & erogandi elemosynam, actio illa plane improbanda erit, cum finis ille proportionatus non sit ipsi objecto

objecto. Notum enim est finem esse mensuram & rationem mediorum, actionesque distingvere, non tamen easdem ab eodem *Specificari* quemadmodum volunt nonnulli, finis quippe & intentio potest esse optima, media vero pessima, & sæpè fit ut quos facti similitudo conjungit, causæ dissimilitudo discernit. Eximius hanc in rem est locus *Beati Augustini*, quæ ex *Zentgrav.* excipere placet. *Sic Deus filio non pepercit, sed tradidit ipsum pro nobis, & filius tradidit semetipsum, & Judas Christum tradidit. Cur in hac traditione Deus est pius, & homo reus, nisi quia in re una quam fecerunt, causa non est una, qua fecerunt? Non omnis qui parvum amicus est. Nec qui verberat inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici. Melius est cum severitate diligere, quam cum brevitate decipere; Et qui freneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus moyses, ambos amat.*

§. VI.

Ultimo actum etiam moralem sæpe afficiunt circumstantiæ nempe morales, siquidem non est nobis negotiū cum illis quæ physicæ sunt considerationis, cum factum aliquod nec aggravent nec minuunt, sed indifferentes remaneant, nihilque in se moralitatis contineant. Istas vero integritati actus seu honestati haud parum conferre ex inde probatum imus, quia lex naturæ non tantum quæ faciendæ sunt præmonstrat, sed etiam *quando, quomodo, quo tempore & ubi*, nam ut judiciosè pronuntiat *Osand.* in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo, sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus quorum si aliquid desit ad decentem habitudinem, consequitur malum, *ita plenitudo bonitatis actus non consistit in tota sua specie sed aliquid additur ex his, quæ adveniunt tanquam accidentia quædam, qualia sunt circumstantiæ debite, unde*

De si aliquid desit, quod requiratur ad debitas circumstantias, actio erit mala. Hinc colligi potest circumstantias aliquam possidere moralitatem, contingit enim haud raro ut objectum ejusmodi vestitum sit conditionibus quæ ipsum non tantum congrue, verum etiam incongrue quandoq; ac inordinatè circumstant, idq; ob debitas actui adhibitas circumstantias vel omissas. *In omnibus quid tempora petant, aut quid personis dignum sit semper considerandum.* Habent itaque se per modum adjuncti istæ circumstantiæ ad actum, quæ sine lege definiente sic sunt comparatæ, ut objecto & actui communicare possint valorem, naturæ nostræ excellentiæ respondentem, vel non. Duplices autem hujus generis fecerunt recentiores Juris Naturæ Doctores, alias adpellarunt *essentiales*, alias *accidentales*. Assertum suum exempl. illustrarunt. Dicunt ad naturam furti simpliciter necessarium esse, ut ista contretatio sit rei a ienæ, alias ista res furti titulo non signaretur ni alterius esset Domini. Hanc circumstantiam vocant *essentialem*. Quod verò quis paululum vel quod excedit de numerata pecuniâ aufert *accidentalis* circumstantia illis dicitur. Explicatè dilucidat hæc D. Schallerus, istos modos seu circumstantias, considerari posse formaliter ratione speciei quam addunt, & ita nominari *essentiales* non accidentales, vel *subjective* ratione actus, cui dant, & ita conditiones esse accidentarias. *Rationem esse dicit quia hæ circumstantia non mutant speciem, vel unam in aliam transferunt, sed priori tantum superadditur alia, haud secus ac in physicis forma accidentalis superaddita substantiali, novam speciem entis constituit e. g. sacrilegium non tollere furtum, sed manere furtum, & dare tantum furto novam speciem.*

Augent ergo honestatem actus interioris vel ejus contrarium intra speciem eandem, nam actus illi colere Deum, diligere proximum, honesti censentur ex objecto, in specie religionis & charitatis, sed si accedat his actibus hæc circumstantia, colere Deum ex animo & toto corde, item diligere proximum suum sicut se ipsum, jam actus illi intenduntur & meliores redduntur in eadem specie honestatis. Diximus in eadem specie, tum enim duo actus sunt ejusdem speciei, quando fiunt ex eodem motivo ut loqui amant Scholæ Doctores, scil. colere Deum & colere Deum ex toto corde, item diligere proximum, & diligere proximum sicut se ipsum, profluunt ex eodem motivo, nempe ex honestate religionis & honestate charitatis. Quod autem illi actus meliores putantur certum inde evadit, ut alio utamur exemplo prioribus tamen simili, qui sectatur virtutem rem honestam aggreditur, qui vero singulari nisu & conamine hoc tentat, melius rem egisse existimatur, quam quispiam alius, qui hæc neglexerat, & id quidem ob majorem honestatis persequendæ ardorem. Et tantum de circumstantiis esto dictum, fixum ergo manet his positis consurgere in actu honestatem ex concursu horum principiorum Objecti videlicet finis & circumstantiarum. Ut si actio latum unguem ab aliquo horum declinaverit, eo ipso etiam ab illo Honestatis germanæ nomen exspirat, *bonum enim ex integra causa existit, malum vero ex quovis defectu oritur.*

§. VIII.

Exantlatis feliciter his curis, insimul monemus quod licet natura ejusmodi detur honestum quod ob prædictorum principiorum rationem, aliquem in se

continet valorem ut sit appetibile ac desiderabile;
 quodque asseveravimus tale ex indole sua citra alicujus
 præcipientis auctoritatem existere; illud tamen omni-
 no æstimari debere à conditione aliqua veritatis infalli-
 bilioris, ut ut non inficias eamus illud ipsum in in se spe-
 ctarum & à parte rei, certitudinis maxime esse infallibi-
 lis, cum ratione suæ essentiæ funderetur in Idea Dei im-
 mutabili, à parte tamen rationis concipientis, quanquam
 sibi firmissime persvadeat se non errare, haud raro con-
 tingere ut à recto deflectat, obstante ipsi impedimento-
 rum multitudine, quam fovet contumacia appetitus, ob-
 luctando intellectui, eumque ad suam rapiendo lubidinem,
 cui ubi succumbere cogatur necesse habet suam cum Me-
 deâ Nasonis confiteri imbecillitatem *video meliora proboq;
 deteriora sequor.* Itaque talis concipienda erit norma, quæ
 intellectum practicum reddit certiore & non errantem,
 in concipiendo & applicando sibi nativam bonitatem da-
 ti objecti. In quo negotio dum occupamur, duplici
 modo rei bonitatem se nobis commendare observamus,
primo ex principiis intrinsicis eandem constituentibus &
 adhærentibus illi ejusdem requisitis, de quibus hætenus
 operose satis egimus, *secundo* ex convenientia cum extrin-
 sica aliqua regula & mensura cui consentire debent a-
 ctiones humanæ; illam dicimus esse Legem Dei æternam
 quæ etiam *mensura ac norma* nostræ actionis *eminens* salu-
 tatur, & *recta Ratio* huic *subordinata*. Bona enim Dei vo-
 luntas cum exprimitur lege, quæ divinum quasi specu-
 lum est, in quo facienda refurgent ac omittenda, requirit
 ut actus humani isti conformentur tanquam regulæ an-
 tequam in numerum actuum rectorum recipi que-
 ant, & quamvis actus voluntatis intrinsicè potest esse
 bonus.

honestus ex rei & objecti excellentia, in qua radicans est, nihilominus tamen requirit congruentiam cum lege tanquam mensura extrinseca, necessaria enim connexio inter hæc duo perpetuo manet, *Actus est intrinsecè bonus ex objecto, & actus est conformis legi æternæ ut idea seu exemplari.*

§. IX.

ET siquidem creaturæ intellectuales ab intrinseco per suos actus liberos se moveant in finem suum ultimum ut ait *Osland.* necessario constituenda erit alia quædam regula vicinior, quæ sit participatio legis æternæ, ejusque quædam impressio ac intimatio, qua proxime regulentur actus in ordine ad ultimum finem, continuo intus suggerens & enunciens, quid prosequendum quidve fugiendum sit, quam Rectam Rationem merito constituimus, & regulam bonitatis malitiæque regulatam ac secundariam adpellamus, cum prior illa de qua *Spho* antecedenti egimus, sit norma principalissima & regulans. Assertum hoc illustramus ratiocinio, quod, quia voluntas ex suffragio Theologorum potentia cæca audit, nec per se cognoscere valet, quid legi æternæ consentaneum vel dissentaneum existat, ac proinde non valet discernere inter honestum ac turpe, necesse habet sese submittere imperio rectæ rationis, utpote regulæ proximæ, & ad ipsius semet componere iudicium. Unde sequitur infallibiliter hanc solam efficere, quod actus indifferens limitetur ad Honestatem, isque ab aliis diversorum generum operationibus illam tanquam formam distingvatur. Quamquam non ignoramus illam sententiam materiam litigii plurimis suppeditasse, siquidem nonnullis placuit formam actionis honestæ ponere ipsam *mediocritatem*, quæ inter nimium & parum est interjecta, & quidem eundem *fundamine*, quia *Philosophus* definit virtutem quod

frabitus electivus, consistens in mediocritate quæ ad nos est, ratione definita pro iudicio viri prudentis. Pro nonnullis in rectitudine & conformitate cum lege æterna, eandem collocantibus, rationes pariter plausibiles pugnare possunt. Componi tamen & ad amicam convenientiam eadem reduci queunt, si statuatur mediocritatem esse *formam absolutam*, conformitatem verò *relativam*. Non enim ideo actio rectificata consentit legi DEI, quia sita est in mediocritate, sed ideo in ea sita, est quia congruit legi divinæ. Vel potest virtus consistere ut cum beato Christiano Matthiæ loquamur, *primario* in congruentia cum regula rectæ rationis, *secundario* in mediocritate. Unum quod videtur palmarium argumentum hic annotare placet, desumptum ex vi & valore contrariorum. Sonat enim Canon Philos. *Contrariorum, forma sunt contrarie*, si vero vitii quod contrarium est virtuti forma sit *àvopia* seu illegalitas, sequitur Virtutis formam respectu sui contrarii puta vitii manere *εὐνομία*. At V. P. E. P. Spectat etiam huc quod Hebræi virtutem dixerunt *Middab* mensuram, vel ad mensuram exæquatam, quo haud obscure significare voluerunt, omnem Virtutem seu virtutis essentiam in Commensuratione ad normam suam, quæ est lex, poni debere. Ut rem in compendium mittamus, & si accurate philosophari velimus, distingvere debemus inter virtutem in præcisione consideratam, & illam, quæ Christiana est. prior per *mediocritatem* quidem explicari possit, posterior non nisi consequenter hoc titulo se tueri debet.

§. X.

Sed dum hic de norma Actionis honestæ disquiritur, Quæstio etiam inseri non incommode possit, *An Actio-*

res Gentilium, honesti caractere insignienda. Quod equidem arbitramur ex parte affirmandum esse, quanquam hic obstant argumenta diversum suadentia, utpote quod quicquid non profectum fuerit ex fide, Deo non placet, cum beata vel potius honesta vita tota sit in divina conjunctione posita; ergo illæ hoc nomine indignæ censerentur,

Omne etenim pietatis opus, nisi semine vera

Exoritur fidei, peccatum est inque reatum.

Vertitur & sterilis cumulat sibi gloria pœnam,

Canit nonnemo. Sed præterquam quod huic objectioni occurrere possimus distinctione sicut, qua distinguunt inter complacentiam *generalem* & *specialem*; dicimus actiones Gentilium in se & intrinsecè spectatas, omnino fuisse Deo acceptas complacentia nempe generali, & per consequens honestas, quamvis extrinsecè & ratione subjecti, quatenus à persona profectæ fuerint non renata isto titulo decorari nequeant. Cum Deus omnis boni author existat, erit etiam origo actionis honestæ in Ethnicis. Deinde Gentiles aut referebant omnia ad Honestatem, aut ad rumorem populi captandum; si veræ honestati dediti fuerunt, cum illa tota sit ex divinæ honestatis & pulchritudinis splendore ducta, ii certe fuere divinis dotibus instructi. *Cum ut præclare ait Cicero nullus unquam vir magnus existit sine afflatu divino.* Habuerunt itaq; unde sibi gloriari poterant moraliter, suas nempe actiones fuisse honestas adeoq; veræ virtutis laude præcellentes. Sin vero non veram honestatem sed falsam ipsius imaginem sectati sunt, nullo modo virtutem novere, sed virtutem simulantes inclusas libidines & execranda flagitia, fronte & supercilio contexere. Præterea etiam Gentiles naturæ vocibus atque insitæ ra-

tionis sensu ad honestatis studium incitari potuisse in aprico manet, omnium enim rerum concinna varietas & interiora illa seminaboni, oratione quasi eos invitabant & admonebant, ut illam tuerentur excellentiam, in quam natura eos præ reliquis animantibus benigne asserere voluit. Quo etiam inclinare visus est Cicero *dum inferi primum officium esse ut homo se conservet in natura sue statu.* Atque hinc patet quale iudicium instituendum de actionibus gentilium.

CAPUT QUINTUM.

§. I.

Singulis sic æqua rationis lance ponderatis, quæ ad dilucidationem & robur nostri fecere argumenti, utpote de Honestatis Ortu, indole nativa & norma adæqvata, succedit jam juxta nostrum institutum, ut sub unum quasi oculi ictum tangamus illorum placita, qui ignoro quo supercilio ducti, honestatis genium ac naturam æstimare voluerunt, ex brutorum animalium actibus, & quidem ut opinamur eo allecti fundamento, quod in definitione Juris naturalis quidam ICti, brutis communionem quandam Juris nat: attribuere visi sunt, cui etiam sententiæ subscripsisse Hugonem de Roy apparet ex ejus distinctione, qua distingvit Jus naturale in *animale & rationale*: Sed quam incongrue prædictus author in sui patrocinium allegat illam ICtorum definitionem, liquet inde, cum alia fuerit mens illorum quam talis, ut eandem exponit Rittershusius. *Quia jus naturale inquit ita definiunt ICti, non quod tam tardi essent, ut non intelligerent, ubi ratio non esset, ibi nec jus vere & proprie acceptum poni posse; sed quod indicare, vellent, nullo certiori argumento cognosci, quod aliquid sit juris naturalis, quam*

ubi hoc ipsum, quod homines ratione duce faciunt, bruta quoque natura instinctu, & inclinatione atque impetu faciunt. Capacitas juris non est sine capacitate rationis. & ubi nulla ratio ibi nulla Honestas. Nulla prope re homo brutis præstat, nisi *Ratione & Oratione*, utraqve illi concessa est, ad societates sanctius ac commodius colendas, ut jurium, rerum, bonorum officiorumque communio esset certa atque expedita. Nihil igitur homini æque incumbit, quam ut utrumque hoc donum pro virili exornet atque perficiat. Quam ob causam, etiam expirat illa Juris naturæ divisio prolata à Cræcio, celebri Icto, Tholosano, qua dividit *Jus Naturæ* in *primævum secundarum*, quam tamen postea ille idem utpote erroneam abdicavit, Plutonisque familia dignam judicavit.

§. II.

Quamquam hæc ita recte se habeant, reperiantur tamen non pauci qui in scenam producant rationes per plurimas desumptas ab ipsa Scriptura sac: comite experientia, diversum à nostra sententia svadentes. Dicunt enim, si nulla Juris & honestatis ratio brutis præscripta esset, si nulla obligatio, si nulla proprie dicta pœna, quomodo cum textu sacro has assertiones conciliabis? legitur quippe Genes. 9. v. 5. *Sanguinem vestrum de animalibus vestris respiram à manu nullius non animalis.* Item Exod. 21. 28. *jubes Deus bovem cornuperam lapidare.* Lev. 12 v. 15. *Dicit Dn. Vir qui cum bestia concubuerit interficiatur, & bestiam quoque occidetis.* Unde inferunt, quod si bestię sustinere debeant pœnas erit in illis culpa, & per consequens erunt juris honestatisque capaces. Verum ut paucis nos expediamus, respondemus illis illationibus prima fronte apparentem quidem inesse valorem, illum tamen parum, certe nihil nobis officere. Negamus primo pœnas cadere

in bruta, nam pœna ut verbis utamur Osiandri non est formaliter illud, quod irrogatur bestiis, quia pœna non nisi illi irrogari potest, penes quem stetit, quo minus peccaret; sed est materialiter pœna, quatenus omnis passio dolorifica, ob illam communitatem quam habet cum afflictione pœnali, pœna dici potest. Hinc etiam culpa locum non habet, quia quemadmodum, si tegula cadat de tecto, & feriat quendam, casus & damni nomine venit ipsa actio. Quando autem dicitur in Scriptura Sacra bruta animalia pœnas luisse & morti data esse, id non tam intelligendum factum fuisse, ob culpam illorum quam ad ostendendum tanti facinoris atrocitatem, ac peccati abominacionem commissi per istorum nefandum abusum. Quod pariter indigitarunt Hebræi, dum unus illorum hæc protulit verba: *Quamobrem precipitur in lege etiam bestiam cui se quis miscuisset occidendam esse: ne ei per plateas transcunti dicant homines, hæc est bestia, cuius causa aut propter quam lapidatus est. N. N.*

§. III.

Producent etiam adversæ partis fautores, in medium alia exempla perita, ab ipsa experientia, quæ ut illi volunt honestatis quandam speciem referunt. De Elephanto quodam Juvenculo Mariæ Reginae Bohemorum, Filiaæ Caroli Quinti Cæsaris scribunt, *Quod adeo fuerit docilis, ut fessorem suum plane non secus quam homo alius intellexerit. Inter reliqua de eonarrant cum assendere eum quis vellet, dextrum crus flectebat. Et que sensim ascenderet, illud elevabat: baculum quo regebatur ubi excidisset, promuscide arreptum porrexit fessori, quem adeo diligebat, ut ab illo admonitus, quod abscondaturus esset se in cœnaculo majore, cum quispiam diceret, fessorem tuum quaerito, ad illum recta ibit. invenitque: invento, mirum in modum blandiebatur. Ubi Archiepiscopus Medialensis adesset, monitus, illum anterioribus cruribus inclinatjs & capite salutavit. Ubi ille discreet effare*
ali-

aliquid, *mugivit* vid. Cardanum. Feræ quoque ipsæ Venereis evitant nefas ait Seneca. Palumbium gregem velut solenni iudicio, morte adficere sui generis adulteros, author est Philo.

Verum enim vero ut ut actus illorum adhibeantur & adducantur in exempla Honestatis, illi tñ. nihil aliud sunt quam simulacra virtutum, & non nisi similitudinem quandam illius ac umbram, quod pro jure normaque Honestatis homines observant, exhibent. Dirimit hæc litem Grotius dum inquit; *Si quando brutis animantibus justitia tribuitur, id fit improprie, ex quadam in ipsis umbra rationis atque vestigio. An vero actus ipse, de quo jus Nature constituit, sit nobis communis cum aliis animantibus, ut proles educatio, an nobis proprius, ut Dei cultus, ad juris ipsam naturam nihil refert.* Addimus etiam nos hoc colophonis loco, quod qui jus & honestatem brutis competere posse, defendere volunt, nobis videntur hæc non alio moliri posse eventu, quam ut vel ex bestis homines, vel ex hominibus bestias, in grande creatoris opprobrium faciunt.

§. IV.

Quidam deprehensa hujus sententiæ infirmitate, castissimam nostram Honestatem consensui omnium hominum, gentium, aut saltem plerarumque & cultiorum superstruebant. Ita namque Cicero tatur: *omni in re consensio omnium gentium Lex natura cui sociata est honestas putanda est;* huic etiam suffragante Seneca dum inquit: *Multum dare solemus presumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri, tanquam Deos esse inter alia sic coligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens, usquam est adeo extra leges moresque proscissa, ut non aliquos DEOS credat.* Cum de animarum
 eterni-

aternitate differimus, non leve momentum apud nos habet
 consensus hominum aut timentium inferos aut colentium.
 Sed hic modus probandi Honestatem à Dn. Pufendorfio
 dicitur duci à posteriori & infinitis ambagibus implicitus, unde
 etiam addit: ad consensum unversi generis humani ideo
 Hobbesio de cive incongruum videtur, quia alias homi-
 ni ratione actu utenti, impossibile foret, contra legem
 naturæ peccare, quippe cum ipso, uti generis humani
 pars est, in diversum abeunte, consensus humani generis
 jam sit mancus. Quando itaque sermones instituunt
 Doctores practici de hocce gentium consensu ac conspi-
 ratione, triplici eandem facie repræsentant. Aut enim intelli-
 gunt hunc consensum quatenus dimanat ab omnibus ubi-
 cunq; locorum populis, aut referunt eundem tantum ad
 istos, quorum notitia ad nos pervenit, aut saltem intelligunt
 eos, qui cultura politorum morum inclaruerint. De pri-
 mo modo merito dubitatur, cum nemo scriptorum id fasti-
 giū unquam attigerit, ut ex singulis universi huius amphite-
 tri angulis, omnes omnino populos luci exponere potuerit.
 Etsi ait Rachelius aliquem eorum numererem, ineant
 Ptolomæus, Marcianus, Heracliotus Ethicus & id genus
 alii, nemini tamen non manifestum est, quam hoc frustra
 ab iis fuerit intentatum. Moxque subiungit: *si quis veterum
 ad consensum omnium gentium seu hominum, provocares, nihil
 certe proficiat, quin potius, ludibrium debebit iis, qui abditissimas
 Asiæ, Africae Americaeque partes scrutati sunt, cum veteribus,
 præter Europe arcem, & maritima Africae lora, nihil admo-
 dum fuerit cognitum; cum primis quod ad testimonium ac compro-
 bationem juris naturæ faciat. De tali igitur omnium gentium
 consensu si verba facis, in aere piscabere, sive nostra sive antiquis-
 sima secula.*

Nec secundo illi ex voto rem peragunt, qui normam
 & contentu illarum gentium, quæ innotuerint, curiosa in-
 quisiione Geographorum ac fide Historicorum, tum pro-
 speræ navigationis commercio. Si quidem illarum incom-
 positi mores, leges & instituta inordinata, longe insuffi-
 cientia sunt, quam ut incynoluram tam cœlestis rei, par-
 ticipantis de corruscante illa imagine divina primævo
 homini divinitus concessa, poducantur. Tale enim testi-
 monium de illis perhibet Aristoteles, *quod natura plane sine*
stupidi, sensu duntaxat & ferino more viventes. Et alibi ait
Multa sunt gentes, quæ ad eadem & humanas carnes comeden-
das pronæ sunt, quemadmodum ad Pontum incolentium Acbaei &
Heniochi. Prostant equidem exempla per plurima, quæ re-
 pugnantiam istam morum solide adumbrant: utpote per-
 sonarum *μηροπιζιαί*, Ægyptiorum superstitiones; leges
 etiam Solonis, apud Athnenses, quæ permissum fuit,
 pro lubitu unicuique necare suum filium; Scytarum mos
 immolandi hospites suos Dianæ. Apud multos pro re in-
 differenti habebantur adulteria & infinita alia, in quibus hic
 recensendis, multum temporis consumere, ingratum fo-
 ret. Quoniam itaque tam varia sunt hominum ingenia,
 ut non uno vivendi modo contenti sint; impossibile est
 ut solo naturæ jure regi possint; sed & aliis legibus scri-
 ptis isti superadditis, opus est, unde non ita facile est perspice-
 re, quid illæ nationes pro naturali, quid pro positivo & civili
 jure habuerint. Scæpè quoque fit quod inolita diu con-
 suetudo, naturalis juris faciem mentiatur. Accedit &
 hoc, quod illis gentibus ut plurimum potius arridet id quod
 utile & jucundum videtur, quam quod veri Honesti ra-
 tionem habet.

Denique nec res succedit, quando fit provocatio ad consensum gentium moratorum, cum adhuc sub iudice lis est, quinam sint populi illi moratiores, cum nulla non gens sit, quæ se satis cultam & moratam esse existimet, licet Græcorum quondam fuerit arrogantia, ut reliquas omnes nationes tanquam extremè barbaras despiceret. Nulla enim gens quæ non principem locum sibi vendicat, vel saltim pari loco ac dignitate volet haberi cum aliis. Atque ita quotquot moratiores cupiunt esse gentes diversis castris continebuntur, & de loco ubi depugnatum fuerit, Græci adversus Latinos, & adversus istos Ægyptii, Persæ, Chaldæi, Æthiopes, Judæi, aliique adversus alios, suas copias ducent, nec enim una alteri cedere vult, sed pleræque adhuc sub signis commorantur, ut eleganter loquitur Rachelius. Præterea nulla gens tantum sibi tribuere valet, ut ad suos mores reliquas omnes exigi possit, siquidem Jus naturæ unde profluit Honestas cum obligatione concipi debet, quæ juris est vinculum, quo etiam adstringimur ad aliquid necessario faciendum vel fugiendum: jam vero nulla gens suis moribus libere utens, aliam æque liberam sibi devincire potest, ita ut quod huic populo in deliciis habetur, id etiam alteri habendum sit, exempli gratia: luxus & superbia in moribus Persarum populi notabantur, ergo ab isto luxu & superbia, Macedonibus aliisque gentibus sub diverso climate positis declinare nefas esset. Consequentia non patet.

Relinquitur itaque ex his infallibiliter, Honestatem neutiquam æstimandam esse ex brutorum actibus, nec ex omnium populorum consensu: ne dum moratorum, sed

sed ut sæpius dictum ex conformitate cum Recta Ratio-
ne, quæ inquam dicitur, quid nostræ naturæ excellentiæ
ac fini, propter quem conditi sumus consonum & con-
veniens sit; quid deceat in factis nostris; quis actio-
num nostrarum ordo ac modus; qui humanæ nostræ
naturæ decor ac gloria. Quia quemadmodum svavitas
concentus Musici doctè prorsus inquit Rachel.
*maxime in consensu & proportionem diversorum sonorum, quæ Har-
monia dicitur, sita est; eodem modo hæc animi pulchritudo, quæ ho-
nestas est, in convenienti quodam adfectuum, consiliorum, actio-
numque omnium ordine, consensu & harmonia cernitur, cujus
ratio ex natura nostra dignitate ac sine sumitur. Si itaque ad hanc
synosuram, quæ quasi honestatis norma, respexerimus, & ex ea a-
ctionum nostrarum rationes moderati, fuerimus, observatis omnibus,
quæ circa factum occurrunt, circumstantiis, & adfectus rationis
imperio obsecuti fuerint, actiones denique ministerio corporis per-
fectæ, cum hoc animi proposito, ipsaque adeo natura rationali ac
sociali consenserit, oritur pulcherrimus & svavissimus Honestatis
concentus: si quid discrepat, in his, & hanc harmoniam turbet,
oritur turpitude.*

§. VIII.

Est & heic expendendum id quod non pauci Honesta-
tis naturam ex utilitate metiri volunt, & illud tantum-
modo pro Honesto venditare, quod utilitatis in se habet
rationem; cum tamen contrarium docuit Ethnicus ille
Philosophus Cicero, Utilitatem honestate dirigendam esse,
& Seneca iussit execrari illum qui utile ab honesto se-
jungeret. Inconvenientem itaque suæ naturæ degunt
vitam, qui in omnibus suis negotiis utilitatem Honesta-
ti præponunt, cumque Comico exclamant *Proximus sume-
gomet mibi.* Non perpendentes nos natos esse non nobis

ipsis sed & aliis, adeo ut officia nostra ex parte debe-
 mus Deo, ex parte Patriæ, & ex parte denique parenti-
 bus. Quomodo quælo Reipublicæ salus innixa duobus
 his fulcris fidei & Justitiæ, facta testaque maneret, si om-
 nes actiones utilitate metiremur, & privatum commo-
 dum antecederet publicum. Metuendum sane tum foret, ne
 status iste Hobbesianus, quem sub hypothesi ficta indu-
 xit, & pro jure fundamentali proclamavit, tum realem
 sortiretur existentiam, & bellum foret non simpliciter sed
 omnium in omnes. Quippe ubi fidei sanctitas, respectu
 sordidæ alicujus utilitatis temeraretur, postliminio habita
 ipsa Honestate, facile quilibet animadvertere possit, in-
 commoda ista, quæ tam injustum procedendi modum
 comitarentur. Quid tum fieret de pactis; quid de fœderibus;
 quid deniq; de jure Gentium, quo omnes gentes tanquam
 sororio vinculo continentur, si nulla fides servaretur in
 factis ac promissis; nulla justitiâ regnorum temperare-
 tur salus; nil sane, nisi confusum chaos, tunus quoddam
 expirantis dignitatis, imo ex imperio pacato ac tranquillo,
 turbidum, civilibus motibus obnoxium, & toti orbi poli-
 tico infestum. Administrationis enim Reipub. forma, ne-
 cessario in honestate est fundata, sine qua nec regnum,
 nec civitas, nec homo ipse consistet. Est autem Hone-
 stas quædam dignitas virtutis, ait Causinus, quam fama
 celebrat, quam sequitur gloria. Præcipuum ipsi decus
 conciliant Fides & Justitia, quæ totam in se vim imperio-
 rum æternitatemq; complectuntur. Ad regnorum con-
 stitutionem accedunt primæ, recedunt ultimæ, nec
 illis quidem dilapsis ulla facies civilis vitæ, nisi per spe-
 ctra & falsas imagines veri, administrari posset. Relinquitur
 itaq;

itaque necessario prædictas ob causas omnem utilitatem honestate dirigendam esse.

§. IX.

Quidam alliciuntur ac trahuntur speciosa ipsius jucunditatis forma, adeoque id quod adpetitum sariat sensitivum, pro vero jucundo, quod semper cum honestate conjunctum erit, stulte venerantur, vitæque suæ spatio, non dicam omni, sed præcipue illo, quo maxime vigor cernitur ætatis, juvenutis suæ florem Diabolo tanquam rem sacram consecrant, immergendo se vitiis, noxiusque voluptatibus naturæ suæ conditionem ac statum miserè fœdantibus. Ingluies certè, ebrietas, commestrationes, scortationes aliaque scelera in proprium corpus commissa. peccata jure naturali prohibita sunt, taliaq; committens, in rectæ rationis præceptum & sui amorem graviter peccat, splendoremque vitæ in honestate consistentis fœde contaminat. Et quod magis admirare, postquam istorum scelerum magistri, per aliquot temporum intervalla, in istis voluptatibus detestando eventu profecerant, ac illicitorum collegiorum membra & adfiores indefessos cum *Sardanapalo* se præbuerant, nefanda sua facinora tanquam facta heroica, & exactæ suæ notitiæ experientiam, perceptam ex pernicioso isto familiaritatis usu, velore ebuccinant, vel scripto publico, sub titulo specioso per antea factæ suæ vitæ professionem quamvis non aperte figuratis tamen modis luci exponunt ac manifestant. Atque sic animum cœlestibus dotibus condecoratam, damnabili hac peste imbuunt, ut jucundum revera tale ab ipsa Honestate divellant, quæ tamen in omni actionum genere cum isto sociari debet. Et quanquam subjecto conveniunt, Honestum, utile & jucundum, ratione tamen discrepant
ait

ait Thomas Aquinas, ita ut Honestum dicatur id, secundum quod aliquid habet quandam excellentiam, jucundum quod quietat animum sensitivum, utile quod refertur ad aliud.

§. X.

Coronidis loco, ut nostri promissi memores simus, siquidem supra pollicebamur nos tradituros aliquid quod faceret ad dilucidationem explicationis Decori, in quo Stoici dixerunt Honesti naturam contineri, pauca jam annotamus Cic. *Decori vis est ea* (declarat ex mente illorum lib: offic.) *ut ab Honesto non queat separari, nam est quod decet, Honestum est: & quod Honestum decet.* Hinc triplex constiterunt *πρέπον* seu Decorum *unum* universale, quod in omnibus officiis cernitur, quæ homini ejusque excellenti naturæ propria sunt, quæ videlicet rationis ductu & forte orationis etiam auxilio expediuntur, & hoc *πρέπον* proxime ad Honestatem accedit, diffundit se per singulas mortalium actiones, licet idem interdum apud plerasque gentes haud parum variet, ceu hoc ostendit alicubi perspicue Corn. Nepos. *Pleraque inquit nostris moribus sunt decora, que apud Græcos Turpia putantur: quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium! aut cujus materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur, quod multò aliter fit in Græcia.* Alterum *πρέπον* Speciale nominatur & potissimum ad actus temperantiæ refertur. Tertium illud *πρέπον* Poetis maxime in usu est, unde & Poëticum dici suevit, quando quæque persona, in fabula suam hypocrisin recte observat, agendo, dicendoque quæ illi conveniunt. Ut si in scenam introducatur juvenis ferox monitoribus asper, versutus Davus, Durus Chremes, indulgens Mitio temulenta ac suffarcinata Canthara. vid. Rach.

§. XI.

Jam limites heic nostræ figimus dissertationis, & gloriæ
DEI, quæ omnium actionum nostrarum finis est ultimus
 ac supremus, opellam hancce à nobis levi brachio elabo-
 ratam, deuotè consecramus, insimul hoc addentes Epiphona-
 ma, ut Deus altissimus qui omnis honesti author &
 fons salutatur, cuihbet nostrum, facultatem & benedictio-
 nem suam largiri dignetur paternè, ut quilibet sanctissi-
 mum hoc diuinitatis donum pro virili amplecti & exor-
 nare queat, quo decenter dignitatem illam excellentiæ
 tueri queamus omnes, in quam benignior naturæ status
 nos asserere voluit. Votorum ergo nostrorum summa hæc
 erit, ut huc sedulo tendat vel totis viribus ruat vernās iuven-
 tus; imo certent heic singuli mortalium animis intrepidis,
 velut aureum cum Iasone ad Colchos capturi vellus. Quod
 ut feliciori successu consequantur faxit ille, ad cu-
 jus cunas cœleste illud & Angelicum
 sonuit melos.

GLORIA IN EXCELSIS DEO
 ET PAX IN TERRIS.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

GLORIA IN EXCELSIS DEO
ET PAX IN TERRIS

